
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

A° 1672 Amstelodami P. Hotton

KW 380
M 21

E LIBRIS

J. DE WAL.

Jur. Prof.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

~~XV. a. 78 mf.~~

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Cf. de hoc libro Richter,
Animadvers. de Vet. Leg.
lat. p. 106–110, ubi Sal-
masii et Heraldi lites
copiose enarrantur.

Ed. a. 1653 novum tan-
tum habet titulum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

SPECIMEN
CONFUTATIONIS
Animadverſionum
DESIDERII HERALDI
SIVE
TRACTATUS
De Subſcribendis & Signandis Teſtamentis,

ITEM

De Antiquorum & Hodiernorum Sigillorum differentia.

AVCTORE CL. S.

380
M 21



Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

LVGD. BATAVOR.
Ex Officinâ Elſeviriorum.

cIↄ Iↄ c XLVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

AMICUS LEIDENSIS AMICO AMSTELODAMENSI, S. D.

ACcepi, legi, confutavi, Vir amiciſſime, primas paginas Animadverſionum Deſiderii Heraldi, nunc Advocati Parienſis, olim Ludimagiſtri Sedanenſis, in Obſervationes Salmaſii ad jus Atticum, quas Amſtelodamo ante aliquot ſeptimanas miſiſti. Si erunt ſimilia quæ ſequentur, & pari filo texta, ſanus non foret qui judicaret opus eſſe ea refelli quæ riſu digna videntur, & ludibrium potius debere quam refutationem mereri. Nec vano tamen augurio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

vel peſſimus conjector aliquis exiſtimare poſſit, haud futura meliora quæ nondum ſunt excuſa, quæque adhuc ſub prælo ſudant, cum in frontiſpicio operis ornando plus laboraſſe veriſimile ſit, ut quammaxime eſſet conſpicuum, utque novo & inuſitato ſplendore oculos intuentium convertere, & mentes legentium poſſet retinere. Elegiſſe nempe videtur ex omni materia quam tum in Adverſariis habuit congeſtam & paratam, notabilia quæque & præcipua quibus magnifici ædificii τηλαυγὲς πρόσωπον præniteret. Hoc denique ſpecimen eſſe voluit, ex cujus contemplatione conſtaret quid de toto corpore ſperare deberent elegantium formarum ſpectatores, ut viſo tam pulcro capite cætera membra ad hoc exemplum quæ nondum paterent expectari & exigi poſſent. Ut ergo guſtum caperent homines operis excellentis & eximii, primam ejus partem ut omnium excellentiſſimam & præcipuam circum

cum amicos notoſque qui in eadem urbe manebant, non ſolum miſſitavit, ſed etiam per exteras & longinquas oras circumvectandam curavit. Sic quoque Amſtelodamum tranſmiſſa eſt. Sed miror præteritam noſtram eſſe Leydam, quamvis copia hominum litteratorum abundet, qui non judicio deficiuntur ad æſtimanda præclara artificia, nec livore prohibentur ad rectum iis pretium ponendum. Propter unum fortaſſe an Salmaſium cujus jugulum petebatur hac egregia ſcriptione, tali honore Academiam noſtram dignari noluit. Utut ſit, palam eſt, nobilem Rabulam voluiſſe hoc pacto flagellum alte inſonare ut terrorem late ſpargeret Animadverſionum, quæ magni nominis, ut ait, Criticum, nomine illo tanto famaque tot annis quæſita, dejecturæ eſſent. Nam perſuaſerat ſibi vir pædagogice vanus, & ferulis olim ſcuticiſque tenendis & quatiendis aſſuetus, ſi virgas clarè ſtrepentes in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

tentaret, futurum, ut inſtar pueri diſcentis, mutus metu muſſaret ille cui tam crudele ſupplicium per plurima orbis litterati loca rumore magno circumlatum minitabundus denunciabat. Priuſquam etiam audaciam cepiſſet edendi quod diu fovit, immo priuſquam fatuum nactus eſſet librarium cujus typos damnoſi operis impreſſione multaret, ſæpe audio ſolitum familiaribus domum ventitantibus prælegere ac recitare particulas ingentis illius voluminis quo Salmaſium obruere & necare deſtinabat. Inde in plauſus conſurgebant pecuaria Arcadica, quorum aures grandes, auritus & ipſe magiſter ſaliari aſinorum dape tam laute paſcebat, actumque de Salmaſii Exiſtimatione plane omnes clamabant. His ille inflatus ac munitus imperitorum hominum ſibique ſimilium præjudiciis nihil molle, nihil modicum crepare, & omnia arma ad ſe vindicandum advocare. Sed artis paternæ memor præmittenda cenſuit hæc fulgurum

toni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

tonitruumque prænuntia, & ante fulmen jamjam caſurum, præmicantia crepitacula. Nunquam ille majoribus bombis æneos tubos exploſit, quam iſte filius ejus ingenti ſonitu ſtrepituque id quod agere moliebatur, ſeſe acturum prænuntiavit. Sed miſerabilis homo potius quam mirabilis, niſi quod eum miranda ſtultitia inſignem facit, fatum ſuum non prævidit, nec quis exitus novũ Salmoneum maneret, hariolatus eſt. Hoc inde illi evenit quod qui à tam multis conſulitur, ſemetipſum non conſuluit, nec ſibi dixit quis eſſet, nec modum ſui menſuramque cognovit, ſed cum ſtaturæ ſit bipedalis & diſtortæ, ſe Coloſſerotis ſpeciem & proceritatem habere non minus temere quam falſo credidit. Qualis ſit & quantulus, ego melius ſcio, quam ipſe ſcire poſſit. Se enim ſemper ignoravit. Atque ut per me id demum recognoſcere incipiat, contra eum tenere ſpeculum hoc conſtitui ut in eo ſe videat, agnoſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

catque quantum uſque adhuc & in hac qua eſt ætate deceptus fuerit, dum ſe pro docto hactenus omnibus adprobare geſtiit. Pro ſpeculo illi erunt inſigniores hallucinationes & peccata notabiliora quæ in hoc ſpecimine commiſit. Si enim monſtro ab inſcitia germana eos errores omnes eſſe profectos, non ex aliqua ἀβλεψίᾳ manaſſe, cui ſæpe etiam obnoxii reperiuntur plerique mortalium alias eruditorum, nunquid cauſæ erit quin ſe pro tali fateatur qualem revera eſſe diis hominibuſque conſentientibus ac faventibus oſtendero? Eos hîcin unum collectos ſub conſpectũ ejus dabo, ut tandem ſapiat ſi poſſit, ſciatque ad ſcientiæ famam quam affectat quod illi deeſt, ſatis hoc idem futurum ad magnum aliquem in doctrina & famigerabilem virum conſtituendum. Quale eſt illud primum de quo præcipua hîc quæſtio eſt, & quo frontem illuſtrare ſuarum Animadverſionum dignatus eſt? Nam quod teſtamenta prius

ſignata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſignata voluit quam ſubſcripta, id unius legis auctoritate quam tantus Juriſconſultus neſcivit, confutavimus. Ex hac una ignorantia multiplicis inſcitiæ plures ſpecies dignoſci poſſunt, Quis modus ſignandi olim apud veteres fuerit, Qua ratione epiſtolæ & tabulæ teſtamentorum aliæque contractuum publicorum litteræ, obſignari ſolitæ ſint. Quæ omnia iſte non ſolum ignoravit, ſed etiam dum ſciri à ſe putavit, in duplicis ignorantiæ crimen incurrit. Huic adjungatur & illa huic adfinis ac pluſquam aſinina imperitia, qua ſigilla quorum hodie uſus eſt, in diplomatis regum ex ipſis membranis dependentium, & ad firmandam & corroborandam litterarum fidẽ ante aliquot ſęcula inſtitutorũ etiam in quibuſlibet inſtrumentis publicis, ad antiquum & Romanorum ſignandi morem revocavit. Cognoſcet in hoc meo ſpeculo verius quam in illo Durandi Speculatoris, quo utitur, ſuperare omnem vel ſtolidiſſimorum ſtu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

piditatem, eam expoſitionem quâ *plures* de duobus interpretatur, & *duo* de pluribus. Non vidit hoc modo de rerum natura *paucos* exterminari. Nam ſi duo de pluribus dicuntur, pauciores nulli erunt, niſi paucitas uſurpetur de unitate, & ſinguli pro paucis habeantur. Quippe infra duo qui ſunt plures, nullus eſt præter unum qui ad paucos redigi queat. Jam quid imperitius illa poteſt imperitia fingi, qua *Exemplar teſtamenti* docet eſſe *ἀντίγραφον*, id eſt exemplum, quam vulgo *copiam* barbari vocant, *Exemplaria* vero pro authenticis tabulis accipit. Ergo in hoc nomine alia eſt numeri ſingularis notio, alia pluralis. Quaſi dicas *teſtamentum* & *teſtamenta* aliud ſignificare, *Codicem* & *Codices*. An cum venia magis peccat magiſque ignoſcendæ culpæ reus eſt, qui *ſignare* & *obſignare* ita invicem differre ſtatuit, ut *obſignare* proprie intelligendum ſit de omnium ſignis appoſitis, *ſignare* autem de uno tantum? Hoc

idem

idem ſit ſi dixeris *obligare* dici cum quid à pluribus ligatur, *ligare* quod ab uno conſtringitur. Non ſine ſtupore ibidem leget, chartas cum membranis confundi, quia hodie in idiomate Gallico omnes litteræ tametſi in membranis ſcriptæ habeantur, *chartarum* nomine appellantur. Hoc Durandus illum docuit, ab illo ſubſcribendorum & ſignandorum teſtamentorum formam Romanis uſitatam luculente deſcriptam autumat, in chartis nimirum, id eſt in membranis complicatis, & perforatis, & chordulis ſeptem per foramina trajectis, & annulis ſive ſigillis appenſis. Tabulas veterum ceratas quæ lino triplici trajecto ex Senatus decreto, conſtringebantur, & ſignis ex cera impoſitis obſignabantur & claudebantur, eaſdem eſſe cum illis Durandi membranis ſive chartis plicatis, & ſigilla chordulis appenſa habentibus obſtupeſcet. *Pragmaticos* Advocatos vocatos, qui praxin in foro exercent, inſtar prodigii non

nemo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

nemo animadvertet, & ipſe quoque vel invitus fatebitur, ut & πραγματικοὺς eos appellatos qui conſtitutiones & reſcripta principum condebant ac componebant, ingenioque ſuo formabant. Signacula cum ſignis eadem ab eo attonitus ſpectabit, id eſt σφραγιστήρια cum τοῖς σημείοις & *avulſa ſignacula* in verſione loci Dionyſii Halicarnaſſei probari, quæ ſigna ſunt ſoluta vel relaxata. In Græcis mirabitur non ampliorem ejus eſſe ſcientiæ ſupellectilem quam in Latinis, cum videbit ἰσότυπον, quod idem eſt atque ἀντίτυπον vel ἀντίγραφον, quod & ἴσον dicebant, Latini vero *Exemplum*, Barbari *copiam*, idem ſtatui cum Exemplari vel prototypa primitivaque & originali atque authentica ſcriptura. Τὸ χειρόγραφον, quod eſt etiam Latinorum *Chirographum*, hoc eſt, propria cujuſque manus & ſcriptura, pro Epiſtola autographa Græcis dici adnotatum non ſine nota imperitiæ ſummæ deprehendet, cum τὰ χειρόγραφα in iis Dionyſii verbis

bis quæ ad hoc probandum adducta ſunt, nihil aliud ſignificent, quam id quod dixi. In reprehendenda Salmaſii opinione qua mutuum, id eſt mutui obligationem, negavit eſſe alienationem, de mutuo non alienato fœde & abſurde ab eo diſputatum dicit, qui fœdus in eo error eſt, cum mutui alienati nemo unquam Latinus ſcriptor, aut Juris auctor meminerit. Nam aut mutuum pro ipſo contractu ſumitur, aut pro pecuniæ ſpecie quæ mutuo datur, ſed hoc ſenſu abuſive, illo proprie. Nam dicitur mutuum, quia in eo id quod datum eſt fiat mutuum, id eſt reddatur illi qui dedit. Qua notione non poteſt dici alienatum mutuum, quia eo ipſo quod redditur mutuum fiat & dicatur. In altero ſignificatu quo pro pecunia quæ creditur & mutuo datur, non negavit Salmaſius alienari mutuum, cum ea pecunia fiat accipientis nec aliter conſtare poſſit mutuum. Mille talia occurrunt in eo primo libro Anim-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

adverſionum, hallucinationum & errorum monſtra, quæ prodigioſam oſtendunt auctoris in Latina litteratura, in Græca, in Juris prudentia inſcitiam. Quod autem omnibus monſtris eſt monſtroſius, ubi veſanos errores & prodigioſos & ſtupendos Salmaſii, forenſis Anubis ritu rictuque crepat, ibi ſuam ipſe in refutanda veritate & mendacio adſtruendo veſaniam luce manifeſtiorem declarat. Quid cæteri libri quos nondum vidimus nobis boni poſſunt promittere, cum primus hic quem pro digmate ſpecioſi operis, longe ſpecioſiſſimum propoſuit, tot vitiis & macularum fœditatibus refertus conſpiciatur? Eat nunc & magnificos de Salmaſii fama moliatur triumphos, caput lauro cingat, & curru ſpectabilis invehatur per ora doctorũ cum opimis ſpoliis quæ Salmaſio occiſo ſe detraxiſſe gloriatur. Clament Io triumphe, poſt currum ejus ambulantes, Arcadicæ gentis proceres, quibus ſua ſæpe recitavit, plauſumque

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

que excitavit, cum tales nugas & nænias vægrandibus illorum auribus Aſinino ruditu intonaret! Neminis eorum me miſeret ſed pudet potius, quia pudorem ipſi non habent. In primis miſeri typographi vicem doleo qui bonam pecuniam peſſimo libro excudendo impendit, non ad Βιβλιοπώλας exteros ituro, ſed ad βουτυροπώλιδας Pariſienſes ex proximo venturo, ut inde involucra procurent ſuis mercimoniis, quo manus emptorum à pinguedine adhæſura vindicentur. Hoc fatum libri eſt futurum, ut merces pingues veſtiat. Sors vero auctorem hæc manebit ut rideatur pinguibus cachinnis; typographum, ut ploret lacrimis pinguibus & uberibus. Omnia in illo opere pinguia, ſed præcipue mens auctoris pingui madens has peperit Animadverſiones rebus bonis macras, calumniis maledictis & conviciis pinguiſſimas. Vale & me amare perge.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

AD LECTOREM, IN SPECIMEN HERALDI DEFRICATI.

SI Defricatus non videtur hic ſatis,
Deſideraſti ut eſſe, Deſiderius,
Adhuc parata ſtrigilis imminet ſuper
In defricantis ecce minitanti manu,
Quæ pectus, armos, terga, crura, brachia,
Quæ femora, ventrem, quæ nates, lumbos, caput,
Totumque corpus Advocati pumicet,
Quod reſtat operis prǽla cum peregerint.
Tum pexus ornatuſque ſic dabitur probe
Vt nempe meritus pro ſuis virtutibus,
Heraldus ipſe ut juret in vita ſua
Se non ſtetiſſe ſub cutifricio pari
Per luſitantis ſtrigilis omnivagas vices,
Negetque poſſe gloriari quempiam
Mulum aut aſellum vel pigrum cantherium,
Ad hunc fricatos ſe fuiſſe unquam modum
Seu ſtrigilis uſus, ſive pectinis foret.
Ita defricatum pœnitudo haud ceperit,
Quæſiſſe talem defricatorem ſibi.

SPE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

SPECIMEN CONFUTATIONIS Animadverſionum DESIDERII HERALDI:

CAP. I.

Non fuiſſe iniquam Salmaſii de Heraldi veſania querelam. An Salmaſius ſit Grammaticus; & quem proprie veteres Græci Romanique hoc nomine intellexerint. Non magis eſſe Grammaticum eum qui de Grammatica ſcripſerit, quam aratorem qui de agricultura. Criticam exercuiſſe Heraldum non minus quam Salmaſium, ſed longe infelicius. Diſputationem Salmaſii de Mutuo nec fœdam eſſe nec abſurdam, ut Heraldus argutatur, aliquot argumentis probatum. Heraldum non eſſe Iuriſconſultum, nec Goeſium. Inter monſtra Salmaſii recenſeri ab Heraldo quod obligationem ex credita pecunia & reddenda contractam tradiderit non eſſe alienationem; item quod Teſtamenta prius ſubſcripta quam ſignata crediderit.

VESTIBVLVM ante ipſum primiſque in faucibus Orci, id eſt, in limine infamis ſcriptionis furioſi Cerberi pro titulo primæ ſectionis ponitur, *Iniqua Salmaſii de auctore*

querela. Scilicet haud juſtis in Heraldum querelis, ſic enim illi rabioſo rabulæ nomen eſt, aſſurrexit Salmaſius, & irrita jurgia jactavit cum in præfatione Voluſianæ chartæ de rerum judicatarum auctoritate, paſſim eum traduxerit. Cum in ipſo opere nullam vel minimam occaſionem prætermiſerit eum lacerandi, & longe etiam arceſſitas quęſiverit? Cum vero audiſſet Salmaſium parare adverſum putidas illas & rancidas & maledicas obſervationes defenſionem, trecentos Corcyreos maſtigas illi minatus eſt, quaſi puerulo alicui quem ſub ferula olim ſua ludimagiſter Sedanenſis habuiſſet. Quod ſi ſemel jure eum reprehendiſſet, quo candore Salmaſium eſſe novi, ne verbulo quidem contra mutiſſet, ſed ultro gratias egiſſet pro via qua declinaret ab errore, monſtrata. Sed cum in tot reprehenſionibus ne unam quidem excipere potuerit, quæ vel probabilis videretur, haud potuit à ſcabioſo mulo ſtrigilem abſtinere Salmaſius. Recalcitrare nunc contra ſtimulum aſelli ferocientis more inſtituit, & de corio ſuo extremum tentare periculum. Habeat ſane ut voluit, & ex hoc ſpecimine quam luculenta eum maneat in reliquis quæ promittit, ad pruritum quo laborat deſcabendum defricatio, experiatur. Salmaſium hic vocat magni nominis Criticum. Magnum

potius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

potius quam bonum hoc nomen apparet velle. Nam per contemptum ſic compellat. Quod mirum in eo homine ſive bellua potius, qui meliorem ætatis partem huic ſtudio mancipavit; & ne nunc quidem hujus artis catalyſin facere ſuſtinet; poſtquam de pane quærendo ſollicitus ſterilem cathedram Grammatici deſeruit, ut ære gravem manum reportaret ex lucroſiore hac rabularia quam nunc exercet. Quid enim poſtremi ejus libri, etiam quos de rerum judicatarum auctoritate inſcripſit? An aliud ſpirant quam miſeram illam Criticam juvenili in ævo tam ſæpe tam infeliciter ab eo tractatam? A ſumma chorda ad imam hoc tinnire tantum didicerunt omnes hujus farinæ Doctorculi, omnes Magiſtelli, Theologaſtri, Juriſtę, Rabulæ forenſes Salmaſium paſſim in cacatis ſuis ſcriptis, Criticũ & Grammaticum compellando. Nuper etiam quidam nebulo in Anglia, Capellanus ut audio Regis, Hammondus nomine, libro quem edidit de poteſtate Clavium, Salmaſio iratus quod aliam quam ipſe ſententiam probet ac defendat, haud potuit majus convitium quod ei diceret invenire, quam ſi Grammaticum appellaret. In qua appellatione tam ſtulte errant, ut neſciant quinam olim proprie Græcis Latiniſque Grammatici vulgo vocari ſoliti ſint. Nempe non alios, ſed illos ſolos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ab omni antiquitate ſic nominatos conſtat quam qui Grammaticam publicè profiterentur, ut *Rhetores* dicebantur qui Rhetoricam docebant. Sic Rhetor etiam Salmaſius deberet audire, cum ex Rhetoricæ myrotheciis orationes ſuas ornare ſtudet aut paulo accuratius dicere contendit. Certe nunquam ille ex profeſſo de ulla parte Grammaticæ commentarios aut libros compoſuit. Atqui ſi hoc feciſſet, ne ſic quidem Grammatici nomen mereri videretur. Nam Varro qui tam multa volumina ſcripſit ad hanc artem pertinentia, nunquam ab hominibus ſuæ ætatis Grammaticus appellatus eſt. Et merito, quia nunquam docuit Grammaticam in magiſtralibus pergulis. Nigidius, teſte Agellio, Grammaticos commentarios plures publici juris fecit, nam & vigeſimus nonus liber eorum commentariorum ab eodem Agellio citatur. Quis tamen illo in ævo eum Grammaticum eſſe dixit? Alioquin & Cæſar hoc de titulis ſuis nomen expungere non poſſet, quia & de Analogia, quæ pars eſt non minima artis Grammaticæ, libros duos ſcriptos reliquit. Auguſtinus etiam pro Theologo Grammaticus apud hunc ſtultorũ vulgum audire deberet, quia de Grammatica librum edidit. Suetonius in libello quem vulgavit de Rhetoribus & Grammaticis, non alios iſtis appella-
tionibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

tionibus intellexit quam qui Romæ in Rhetorica & Grammatica docenda celebres fuere, quorum & vitas deſcripſit. Non ſane magis eſt Grammaticus, qui de Grammatica, quod numquam tamen fecit Salmaſius, opus aliquod conſcripſit, quam agricola eſt & arator qui de Agricultura commentatus eſt. Sic miles etiam videretur, qui de re militari libros componeret. Sed hoc fatum Salmaſii eſt, ut quidquid meditetur & quacunque de re in publicum paret edere, ſive ad Theologiam pertinens, ſive ad Hiſtoriam, ſive ad Juriſprudentiam, ſive ad Medicinam, ſive ad rem Militarem & τακτικήν, in his omnibus paſſim pro Grammatico, ab hominibus certè ἀγραμμάτοις, traducatur. Atqui videmus quotidie eos qui nihil umquam præter Treutleri Theſes, aut Paratitla Weſenbecii legerunt, ubi titulum Doctoris, gratia aut mercede adepti ſunt, protinus ſe Juriſconſultos inſcribere, & ſibi licere ſolis velle de Jure commentari & reſpondere. Nec Theologaſtri minorem præſumptionē animo induunt, cum nemini, niſi quibus laurea Theologalis publicè, ſæpe immeritiſſimis, impoſita eſt, conceſſum eſſe velint condere de Theologia meditationes, aut commentationes ſacras publicare. Quæ ſi vere & recte ab illis contenduntur, non eſt quod putemus Papinianum fuiſſe Juriſcon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſultum aut Auguſtinum Theologum. Non enim inſignia Doctoratus poſt jejunam & miſeram aliquam diſputatiunculam in publico tractatam, illum in Juris ſcientia, hunc in Theologia accepiſſe, fando aut legendo audivimus. Si vixiſſet tempore Cornelii Celſi, ſine dubio pro imperio eum vetuiſſet de Jure ſcribere, de Agricultura, de re Medica, de re Militari, de Philoſophia, de Rhetorica & aliis. Mirus nugator es. Sed forenſi Caniculæ Salmaſius eſt Criticus? Bene eſt & accipio omen & nomen hoc pro illo. Huic ergo Critico non licuiſſe vult Cerbereus latrator, ullum Juris paragraphum explicare, ullam Legem interpretari, ne oram quidem cum cymbula in illo Oceano legere, quem ſibi ſoli fas eſſe ſtatuit navi longâ ingredi. Quid ita? quia magnus auctor naturæ & veri non probat mixturam litterarum cum ſcientiis, eamque pravam & ineptam ſibi videri pronuntiat. Quid igitur ea miſcuiſti, ô Magiſter, quæ non miſcenda putas? Cur autem cum Grammaticus verè eſſes & Criticus minorum gentium, aſpirare auſus es ad ſcientiam legum? Cur Salmaſio qui nec Grammaticam umquam docuit nec Eloquentiam nec Philoſophiam, ad eam acceſſum patere non vis, nec ullam ei licere partem illius attingere ut exornet? Quia, inquis, *Sciebas quam eſſet ſcientiæ ejus parum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

rum intelligens, cui neque tempus neque operam impenderat quam artis illius vaſtitas flagitat. Atqui audeo tibi & vere quidem dicere, triennio uno, quo illi ſtudio operam dedit Salmaſius Heidelbergæ, plus in legitima ſcientia profeciſſe quam te per illud omne tempus, quod uſque ad hunc diem in cauſis elatrandis inſumpſiſti. Tu ſcilicet juris immenſum Oceanum enavigaſti? Fortaſſe in lebete, ut olim Hercules occiduum, ideo tantos fluctus quaſi in ſimpulo nunc excitas. Magnum porro argumentum ignorantiæ in Jure Salmaſii ducit ex Epiſtola quam præfixit Operi ſuo de Modo uſurarum, ubi dicit, *eum de Mutuo non alienato tam abſurde quam fœde diſputare contra Cunæum.* Imo hæc à te abſurdè & fœde tractantur, homo hominum ineptiſſime & inſcitiſſime. Sed prius hîc velim ſcire quid voces *mutuum alienatum?* Si per mutuum intelligis mutui contractum, ut ſæpe accipitur in Jure, videris ipſe quam rectè appelles obligationẽ mutui ſive pecuniæ creditæ alienatam, qua ad reddendum quod accepit obligatur is cui data eſt vel credita. Si mutui nomine vis accipi pecuniam ipſam ſive ſpeciem quæ mutuo data eſt, potes mihi oſtendere ubi eam non alienatam eſſe docuerit Salmaſius, cum certum ſit fieri accipientis, ac per hoc alienari? Nec enim mutuum eſſet, niſi quod datur mutuo in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

dominium accipientis tranſiret. Verum hoc modo in genere locati tranſit etiam id quod datur à locatore in accipientem, nec tamen alienationem eſſe id quod agitur cenſetur. In genere etiam depoſiti ſæpe alienatur res depoſita cum fit accipientis depoſitarii, non tamen propterea genus illud depoſiti pro alienatione cedit. Tanta autem vis eſt veritatis ut non ſolum imprudentibus ſæpè defenſio ejus, ſed etiam invitis excidat. Quanti vero ſit momenti differentia inter pecuniam ipſam quæ mutuo datur, & obligationem quæ ex ejus datione contrahitur, vel inde apparet, quod pecuniæ illius cum fiat accipientis ſit alienatio, obligatio autem quæ inde contrahitur, cum ad reddendum fiat, non poſſit inter alienationum genera aut traditionum quæ dominium in perpetuum & irrevocabiliter transferunt, reponi. Cum ſentirent ſibi jugulum peti hac ratione omnes Doctores qui Salmaſii opinionem impugnare conati ſunt, quæſtionis ſtatum mutarunt & ſcripſerunt, in mutuo alienationem fieri. Ita primus Coprias Epiſtolæ ſuæ titulum impoſuit, eoque demonſtravit, *in mutuo fieri alienationẽ.* Quaſi de eo controverſia eſſet, an in mutuo fiat alienatio, cum certum ſit non dari nec eſſe mutuũ, niſi ſpecies quæ datur, fiat accipientis, ac proinde à dante alienetur. Illud autem

quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

quæritur, an mutuum, id eſt mutui contra-ctus ſive obligatio ex re mutuo data con-tracta, ſit alienatio? Si enim in ſola datione conſiſteret mutuum, nihilque inde redderetur, nulla eſſet dubitatio quin foret alienanatio id totum quod ageretur. Sed cum ex illa datione naſcatur obligatio ad reddendum, & cum inter obligationes quæ re data contrahuntur, à Juriſconſultis antiquis referri ſoleat mutuum, cum depoſito, commodato, locato & indebito ſoluto, non poteſt pro alienatione haberi, quæ eſt obligatio ad reddendum ex re data contracta. Nebulo ille, Andegavenſis Profeſſor, ſtulte & ſcurriliter dicax, eadem arte elabi ſe poſſe ſperavit ne inſcitiæ convinceretur, ſi in titulo libelli ſui poneret, *mutuum non fieri citra alienationem.* Quis hoc illi negavit? Quis hoc in dubium unquā revocavit? Mutuum certe non fit citra alienationem, cum ipſa ſpecies quæ datur in accipientem tranſeat & alienetur. Sed alia erit quæſtio ſi dicatur, Mutuum, hoc eſt mutui ſive pecuniæ mutuo datæ obligationem eſſe alienationem. Hoc audeant propugnare & viri ſunto. Wilhelmus Goeſius qui Senatoris dignitatem in Curia Hollandica cum fruſtra ambiſſet, officium Curatoris mercium ac Directoris in Orientali Societate Mercatorum propter ſummam ſuam in Jure prudentiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

meruit, ſub ambigui tituli fuco & caligine ſubterfugere ac ſeſe eripere tentavit: Vindicias ſcripſit pro recepta de mutui alienatione ſententia. Sed quid per *Mutui* vocem intelligeret, in ipſo limine aperuit, cum negavit p. VIII. in toto Jure uſquam *appellari mutuum* vniverſum illud negotium quod rem quæ in genere ſuo functionem recipit, dando reddendoq; perficitur, & fruſtra Anonymum, hoc eſt Salmaſium cæteroſque clamitare mutuum non eſſe niſi reddatur. quippe non eum qui dat, ſed qui datum reddit, mutuum facere. En corculum Papiniani, & jecuſculum Triboniani! Cum pecunia mutuo dari dicatur, tam in Jure, quam apud auctores Claſſicos, quid per mutuum intelligitur? An pecunia ipſa quæ datur? Nullo modo. Non magis ſane quam fœnus eſt pecunia quæ datur fœnori. Datur hęc ut fœnus ex ea pendatur. Nam dare fœnori, in fœnus & ad fœnus, idem eſt. Sic datur pecunia mutuo vel ad mutuum, id eſt, ut fiat mutuum in ea reddenda. Et proprie ſane non eſt mutuum nec fit, niſi reddatur id quod acceptum eſt. Ergo non in datione conſiſtit, ſed in redditione. Cum enim ſit obligatio quę re data contrahitur, non obligatur is qui dat, ſed qui accipit. Eſt enim contractus *μονόπλευρος* & qui ex uno tantum latere obligat, quandoquidem qui accipit obligatur danti, ſed eum

cum ex diverſo obligatum non habet. Cum accipiens igitur ſolus in hoc contractu obligetur, ad quid obligatur? Certe ad reddendũ. Ergo hæc obligatio cum tota ſit ex parte accipientis & ad reddendum, non conſiſtit proprie ac ſpecifice niſi in redditione. Nec ergo mutuum eſt, niſi reddatur. Inde illa definitio veterum mutui, *Si datur ut reddatur, mutuum eſt*. Accipitur autem interdũ abuſive mutuum pro ipſa pecunia quæ datur, cum dicitur *mutuum dari*. Nam mutuum damus recepturi, non eandem ſpeciem quam dedimus, ut eſt in leg. 11. D. de rebus creditis, ſed tantundem, id eſt in eodem pondere, numero & menſura. Hoc ſenſu rectè dici poteſt mutui, id eſt pecuniæ mutuo datæ, alienatio. Nam hæc pecuniæ ſpecies quæ mutui nomine appellatur, omnino alienatur, ſed ex iſta alienatione obligatio naſcitur ex parte accipientis quæ non poteſt eſſe nec dici alienatio. Ita illi intellexere doctores duo, qui in *mutuo fieri alienationem* aut *mutuum non fieri citra alienationem* poſuerunt. In mutui nempe contractu vel obligatione, fieri mutui alienationem, id eſt pecuniæ quæ mutuo datur. Sed audiamus novum lumen & medullam Juriſprudentiæ Wilhelmum Goeſium, quo ſenſu mutuum eſſe alienationem admittat aut neget. Hæc ejus verba ſunt: *Cum igitur mutuum alienationem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

tionem eſſe dicimus de contractu illud intellectum volumus qua res abutenda datur ut tantumdem quandoque reſtituatur. De obligatione qua à contractu plurimum diſtat, idem dici neutiquam poteſt. Egregia & mercatorum directore digna diſtinctio. Mutuum quando eſt contractus, eſt alienatio, quando vero pro obligatione ſumitur, tum non eſt alienatio. Exclamat deinde contra illos Sophiſtas, quos nequiſſimos appellat, qui hoc optimis Doctoribus crimen imputarunt quod dixiſſent aut ſcripſiſſent, aut cogitaſſent, obligationem quamcunque eſſe alienationem, nec ergo mutui. Hæc iterum ejus verba ſunt: *Cedo enim mortales nequiſſimi quis noſtrum dixit, quis ſcripſit aut cogitavit umquam, obligationem mutui aut aliam quamvis alienationem eſſe, aut pro ea à nobis haberi.* Euge Goeſi, qui pro mercede tuæ ſcientiæ mercium directionem ſuſcepiſti, iam noſter eſto. Non aliter concepit mutuum Salmaſius quam pro obligatione quæ re data contrahitur, cum negavit eſſe alienationem. Sumus ergo quantū ad hoc in bona concordia. Vide quantum interſit ſeſe invicē intelligere, & de ſtatu quęſtionis recte inter ſe convenire. Sed quid tu tibi voluiſti, cum dixiſti mutuum quatenus eſt contractus, eſſe alienationem? Sciſne quid ſit contractus? Quod autem poſuiſti quaſi ad differentiam Contractus mutui, & Obligatio-

nis,

nis, tamne bardum te eſſe non animadvertiſti, ut non videris ſi contractus mutui eſt alienatio, debere etiam videri alienationem eſſe quæ obligatio eſt, & contra. Dicis *contractum eſſe mutui quo res abutenda datur ut tantumdem quoque reſtituatur*. Si ex contractu tantumdem debet reſtitui, quomodo id habebis pro alienatione? An aliud obligatio contracta ex re mutuo data evincit quam ut tantumdem reſtituatur? Si hæc non eſt alienatio, nec ſane contractus eſt. An ignoraſti contractum cum variis modis accipiatur, maxime proprie pro conventione ſumi quæ ultro citroque obligationem parit? Hoc ſenſu non poteſt mutuum eſſe contractus. Non enim ultro citroque obligat, cum ex una tantum parte obligationem pariat. Sed & proprie accipitur de omni conventione ex qua oritur obligatio, ſive ex una parte ut eſt in mutuo, ſive ex utraque parte ut in pleriſque aliis contractibus. Tertio ſumitur improprie, & comprehendit non ſolum contractus, ſed quaſi contractus. Ex his tribus vocis contractus notionibus, ſecunda ſola convenit mutuo. Talis igitur contractus obligationem parit ex parte tantum accipientis. Hæc obligatio ſi alienatio non eſt, non video quomodo conventio ſive contractus ex quo oritur, poſſit eſſe alienatio. Cum enim hujuſmodi contractus duabus

par-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

partibus conſtet datione & redditione, datio cauſa eſt obligationis ad reddendum. Et rei quidem quæ datur alienatio fit, ſed cum ex ea ipſa datione contrahatur obligatio reddendi, ſi obligatio hæc non eſt alienatio, ne quidem contractus erit, qui utramque comprehendit, hoc eſt tam dationem quam redditionem, priorem tanquam cauſam ex qua naſcitur obligatio, poſteriorem tanquam finem, quo obligatio diſſolvitur. Ut enim datione contrahitur, ita redditione diſſolvitur. Ad hoc enim res data fuit ut redderetur. In priore ſignificatione contractus definitur à Labeone, ultro citroque obligatio. Quidni igitur in ſecunda definiri queat conventio quæ ex uno tantum latere obligationem habet? Talis contractus qui obligationem habet reddendi ex parte accipientis, non magis poteſt alienatio eſſe quam obligatio quæ ex illo oritur. Non enim poteſt eſſe alienatoria ea conventio quæ parit obligationem non alienatoriam, cum ejuſmodi conventio facta non ſit alienandi animo aut fine, tam à parte dantis quam à parte accipientis. Hic enim alienum æs vocat quod accepit, quia obligatus ad reddendum tenetur, ille ſemper ſuum quod dedit, etiam cum eſt in poteſtate ejus qui accepit, quia recipere omnino debet. Hinc vel tibi Heralde, quamlibet hoſtis ſis Sal-
maſii,

maſii, æſtimandum relinquo an cætera ejus famoſi libelli Goeſiani refelli mereantur. Vah quam doctus eſt! Tanto ſcilicet auctore Contractus mutui eſt alienatio, ſed Obligatio mutui alienatio non eſt. In hoc ultimo acquieſcimus & jam deciſum habemus per VVilhelmum Goeſium negotium de quo tam multis & à tam multis diſputatum eſt. Hoc enim argumento inter cætera uſus eſt Salmaſius tanquam potentiſſimo, cur mutuum ſive mutui contractus non ſit alienatio, quia ſi eſſet, duo contraria una definitione tenerentur quæ eodem genere ac differentia conſtaret. Cum enim obligatio remiſſa & obligatio contracta inter ſe contraria ſint, ſi obligationis remiſſio alienatio eſſet, obligationis contractus non eſſet. Donat quippe & alienat rem ſuam qui remittit obligationem rei ſibi debitæ, ergo qui talem obligationem contrahit, quæ cum remittitur alienatio eſt, in mutuo dando non habet animum alienandi nec donandi. Ut in pauca ſtringam argumentum: Si obligatio contracta de mutuo alienatio eſt, remiſſa talis obligatio, ejuſque rei donatio, non poteſt eſſe alienatio. Atqui &c. Ergo obligatio contracta non eſt alienatio, cum remiſſa verè ſit talis. Quæ per negativam particulam invicem oppoſita ſunt, non poſſunt ſimul ſtare, & ad eandem definitionem revocari.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

cari. Sic in eo quod datur ut reddatur, non poteſt eſſe alienationis intellectus, cum in eo quod datur ut non reddatur, ſenſus ſit alienationis, id eſt propoſitum & finis alienandi. Nam mutuum eſt quod redditur, quod autem redditur non alienatur. Quod vero alienatur vel quod datur ad hoc ut numquam reddatur, mutuum dici non poteſt. Iſtæ ſunt, cum aliis infinitis non minus validis, rationes quibus Salmaſius probare inſtitit, mutuum, hoc eſt mutui contractum vel creditæ pecuniæ obligationem, non eſſe alienationem, quæ abſurde & fœde diſputata ab illo eſſe contendit hic Advocatus Pariſienſis. Quinimo monſtra hæc vocat & νοσούσης φρενὸς ἐκτρώματα. Non, ita me Deus amet, ita ſentiret ſi à mortuis ſuſcitaretur Carolus Molinæus, qui trecentis paraſangis melior majorque fuit Heraldo Iuriſconſultus, tametſi Neſtoris annos hic vinceret & totum hoc ævum in Juris ſtudio & praxi conſumeret. Nam is Molinæus pluribus oſtendit in libro de Uſuris Mutuum non eſſe alienationem. Sed Goeſius qui in Burſa mercatorum Papinianus cluit, hoc Molinæo *excidiſſe* pertendit *aliud agenti.* Itane vero? aliud agenti? Quid agebas ipſe cum hæc diceres? Non certe tibi excidet, ut aliquando ſtultus ſis, nam perpetua tua ſtultitia futura eſt. Quod ille vir magnus & unus

ſupra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſupra omnes ſuæ ætatis homines pruden-
tiſſimus ac conſultiſſimus, duobus locis ar-
gumentum plene perſequutus eſt, multiſque
ac ſolidis rationibus firmavit, hoc tu dices
aliud agenti excidiſſe? Socero tuo hoc quod
ſcripſiſti, excidiſſe poſſem jurare, cui talia
multa ſolent cadere vanè, ſtultè & ſtolidè
jactata. Ad Heraldum redeamus, cui uti-
nam & in mentem poſſit incidere ut mu-
tui alienationem quatenus pro contractu &
obligatione creditæ pecuniæ accipitur, cum
aliis *inſanientibus Doctoribus* defendat. Hos
intellexi, Dialogo ſic inſcripto, omnes qui
vulgarem illam ſententiam tuentur, prout
meriti inſcitia ſua ſunt, lepide à Salmaſio
acceptos. Inter monſtra Salmaſiana & men-
tis ægrotæ abortus, quos illi impingit, etiam
recenſet hanc ejus aſſertionem, qua ſub-
ſcripta teſtamenta, deinde ſignata, contra
Juriſconſultos omnes hujus ætatis docuit.
Primum hunc Animadverſionum librum,
qui pro ſpecimine eſt cæterorum, refellen-
do tali ut putat prodigio fere totum de-
dit, cui nos oppoſuimus unam Legem Co-
dicis, quæ numero octava eſt, Tituli *qui Te-
ſtamenta facere poßint*; Sic monſtrabimus huic
homini monſtrum ipſum eſſe ignorantiæ,
tanto magis eo nomine traducendum ac
monſtrandum, quod quæ occulta & abſ-
condita non ſunt, ſed in Jure expoſita &
 aperta

aperta minime viderit, & cum Tireſias & Phineus ſis, Thamyreſque cæcitate ſuperes in rebus claris & manifeſtis, quam perſpicacem te putamus eſſe futurum in dubiis & obſcuris? Infinita alia ejuſdem imperitiæ portenta vel ſpeciminis gratia hoc libello profligabimus.

CAP. II.

Qualis Criticus ſit Heraldus, oſtenſum. An opus de aliqua re ſcriptum, non ſit ſcriptio. Goeſium non meliorem eſſe Criticum, dum Salmaſium reprehendit quod diſſertationem de mutuo, diſquiſitionem inſcripſerit. Non ſimpliciter Criticum eſſe Heraldum, ſed ἀστοχώτατον. Correctionem ejus in lege LXIII *D. de re jud. ridiculam eſſe, qua partitores reponit & participes eſſe voluit.*

CUm Salmaſium Criticum eſſe dicas, & te fuiſſe atque etiamnunc eſſe criticum negare non queas, Ego hic me faciam hypercriticum loco Salmaſii, id eſt criticum critici. Oſtendam enim qualis ſis criticus, & quantum criſi valeas, hoc eſt judicio, idque unico exemplo, de quo alia diſcenda ſint. In præfatione præfixa libris tuis de Rerum judicatarum auctoritate, ita eam auſpicaris; *Cum huic neſcio dicam operi an ſcriptioni manum admovere cœpi, nihil minus cogitaveram quam hoc argumentum tractare.* Bella ſane verba. Cum manum admoviſti ſcriptioni de rerum judicatarum auctoritate,

nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

nihil minus cogitabas quam de hac materia tractare. Quid igitur meditabaris? An arcam facere? Jam vero illud, quod neſcire ſe dicit, utrum *opus* eſſet an *ſcriptio* quod parabat componere, quam bellum eſt atque elegans? Quaſi in hoc genere ſcriptio aliud ſit quam opus, & opus quam ſcriptio. Non melior Heraldo criticus eſt Goeſius, cum ſcripſit Titulum operis Salmaſii de Mutuo tali inſcriptione inſcitiam auctoris omnibus palam indicare. *Diſquiſitio de mutuo, qua probatur non eſſe alienationem.* Qui enim, inquit, probationis ſpeciem quæ diſquiſitio vocaretur commentus ſit, hactenus repertum credo neminem. Sive tua Goeſi, ſive Soceri tui, ſive amborum ſimul hæc critica eſt. vos eſtis duæ magnæ beſtiæ. Diſquiſitio non eſt ſimplex inquiſitio vel diſputatio, ſed ex pluribus quæſitis electio quodnam omnium ſit veriſſimum. Sed ponamus ita eſſe. Quid ſi Salmaſius dixiſſet *Diſputatio* de mutuo, vel *Diatriba*, vel *Exercitatio*, vel *Diſceptatio* qua probatur mutuum non eſſe alienationem, an ex eo inferretis Diſputationem, aut diatribam, aut exercitationem, aut diſceptationem eſſe genus probationis? Poſt diſquiſitionem ſequitur judicium. Nam qui de re aliqua diſquiſitionem aut diſceptationem inſtituit, ad hoc eam facit, ut judicium poſtea ferat, & probet ex multis quæ diſquiſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

vit, quodnam ſit melius. Inde & *diſquiſitio* etiam pro judicio ponitur, in his Suetonii verbis in Cæſare: *Primo Præturæ die Q. Catulũ de refectione Capitolii ad populi diſquiſitionem vocavit.* Cum talia ſint omnia quæ in illis Goeſianis ſive Heraldianis vindiciis reperiuntur, inepta, ſtulta, falſa, ridiculas pro mercium involucro apud mercatores releganda ſunt. Vos vero ſocer generque infeliciſſimi critici in Morboniam ite, & tertium vobis ſocium & comitem aſſumite æque infelicem & æque ſtultum, æquéve ἀκρίσιον, Deſiderium Heraldum. Quid enim ille potius egit aut libentius & miſerius? Teſtes Martialis & Arnobius & Adverſariorum libri. Id etiam teſtantur de rerum judicatarum auctoritate libri, quibus in ipſo Jure criticam ita exercuit ut Juris ſimul imperitiam magnam prodiderit & judicii inopiam. Non ergo ſimpliciter criticus eſt, ſed ἀστοχώτατος criticus. In Juris ſtudio quantum profecerit, & res ipſa oſtendit, & iidem libri. Tantos ſane progreſſus fecit, quantos facere potuit qui ſero admodum ad hanc diſciplinam tranſiit, poſt exantlatos in ludo Sedanenſi Grammaticalis pulveris labores. Cum nihil aut parum lucelli ex pedaneorum ſubſellio magiſtellorum reportaſſet, Lutetiam jam grandis & barbiger venit, ut foro operam addiceret, & nactus eſt ibi amicosquibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

bus litterulæ eum conciliaverunt, atque inter illos præcipuum Ludovicum Servinum Regium Advocatum, cui & Arnobium tum dedicavit miſellis & frigidis notis criticorum in morem adornatum. Hac dedicatione favorem captavit hominis in foro potentis, ut cauſas ejus ſuffragio poſſet à procuratoribus conducere. Sic cruda Juris ſtudia in forum tum protruſit, qui totam juventutem & magnam partem virilis ætatis in Grammatica pueros docenda contriverat. Ubi rabulariam cœpit exercere qui figlinam in dolio didicerat, non multam Juris ſcientiam potuit comparare. Confidentia & canina lingua aliquid ſibi nominis in cauſis agendis quæſivit; ſed tam falſo ſe Juriſconſultum profitetur, quam ego Rabulæ nomen ex vero eum mereri ajo. An ſecundum regulas viri boni cauſas ſemper peroraverit, alia quæſtio eſt & de hoc alibi dicetur. Patrem ſane habuit qui magis ſecundum Canones vixit. Si quæris quos Canones, ego illos dico qui muros quatiunt. Sed in arte Critica & in Jure explicando longe infelicior fuit quam pater in ea quam detonuit. Ille ſaltem aliquando fortaſſis ſcopum feriit, iſte numquam. Si Caracalla tamen viveret, corona donandum Heraldum pronuntiaret eo nomine quod ſcopum toties non ferire difficile ſit. Ait Salmaſium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſcientiæ Juris parum eſſe intelligentem, cui neque tempus neque operam impenderit, quam artis illius vaſtitas flagitat. Interim vel uno hoc argumento nunc planiſſime oſtenditur, non adeo Juris eſſe imperitum Salmaſium, ut perſuadere vult hic rabula, cum ab eo quem adeo ignarum Juris eſſe videri vult, ſtrenue defricetur Juris ejus inſcitia. Hoc vero ille habet ab arte Patris, crepitu valet & bombis. Veſaniam Salmaſii intonat, malignitatem, calumnias, inſcitiam, temeritatem, confidentiam, prodigioſos errores ac ſtupendos, monſtra, *νοσούσης φρενὸς ἐκτρώματα*. Sed præter ſonum nihil inde remanet. Omnia in fumos & aërem abeunt. Pater tamen, ut veriſimile eſt, Canones ſuos excutiendo, aliquammultos vita privavit, alios mutilavit, quoſdam attonitos reddidit: at filius ne muſcam quidem ſtrepitu ſuo necavit, niſi ſi forte dum iratior ſcribit, importune naſum prætervolantem aliquam captavit & neci dedit. Farrago illi eſt liber Salmaſii de modo Vſurarũ. Sit ſane quod voluerit, ne bilem ejus tam incendi promptam in me quoq; concitem, dum ſciat & fateatur, quod nemo negaverit, vel unum illius farraginis capitulum plura nos ac meliora docuiſſe quam quantum eſt hujus infamis rabulæ ſcriptorum. Quid enim in illis novi, aut quid non tritum

tum & vulgare? Delitias tamen facit, & ſe extra communia ponendum cenſet. Quando autem ritum aliquem reconditum ex antiquitate ſeu Græca ſeu Romana eruit? Quando in uſum aliquam vocem fugitivam retraxit, aut Latio vel Athenis obliviam redonavit? Ubi umquam certam explicationem loci obſcuri ac difficilis attulit? Ubi emendationem veram corrupti protulit? Omnia opera ejus conſtant congerie ſimilium locorum illuſtrandæ ſententiæ alicui notiſſimæ, aut phraſi uſu conculcatæ confirmandæ. Si verum audire vult, farrago mera eſt opus ejus de rerum judicatarum auctoritate. Pauca ſunt quæ ad argumentum quod pertractandum ſuſcepit faciant, infinita vero quæ extra rem. Niſi dicat cum de omnibus judicium feratur, ideo & ad ſuburbicarias Eccleſias & diœceſes Epiſcoporum & Patriarcharum, ſibi extendere placuiſſe rerum judicatarum auctoritatem. Sed illa & alia tã longe arceſſita & à ſcopo aberrantia ideó quæſivit, ut occaſionem inveniret carpendi Salmaſii, aut emendationis alicujus febriculoſæ ad leges aliquot promendæ. Pares autem ſunt omnes illi cujus modo in mentem venit, qua *partitores* in Leg. LXIII. D. de re judicata, reſtituit pro *petitoribus*, & *partitores* notat eos dici non qui partiuntur aliquid aut dividunt, ſed qui participes

& μετόχους. Saltem ſi *compertitores* poſuiſſet, aliquid probabile dixiſſet. Sed ut *partiror* ſit idem quod particeps, quia ratio non patitur, nulla vi umquam id efficiet, licet adduxerit omnia tormenta πυρέκβολα quæ pater umquam in vita exploſit. Miſera illa farrago pro merce vendibili numquam Typographo ſuo conſtitiſſet, niſi natæ eſſent obſervationes Salmaſii. Curioſitatem in doctis hominibus illæ excitarunt cognoſcendi voluminis, quod tam egregiè caſtigatum & confutatum plurimis locis foret.

CAP. III.

Legem 1. *de bonorum poſſeſſione ſecundum Tabulas denuo retentatam. In ea agi de Teſtamentis duobus ſimul ſignatis. Recte & vere dixiſſe Salmaſium recentioribus Doctoribus Iuris ignorari quid ſit ſignare teſtamentum. Legis ſupradictæ expoſitionem à Salmaſio excogitatam, eſſe veriſſimam. Alium ſignandi morem fuiſſe antiquis Romanis, alium ſub ultimo imperio.*

IN his ſuis animadverſionibus obſervationum Salmaſianarum, quarum primum πετζάδιον Heraldus δείγματος χάριν ad exteros tranſmiſit, pro frontiſpicio operis ut conſpicuum eſſet & magnificum, ſplendere voluit primam quæſtionem de Teſtamentis pluribus ſimul ſignatis. Expoſitio legis eſt primæ D. de bonorum poſſeſſione ſecundum

cundum tabulas. Quam quaſi purpureum pannum veſti ſuæ illuminandæ eſſe credidit, eam vere pro illoto, ſordido ac fœdo ſegmento, nullo judicio, in prima fronte conſpici paſſus eſt. In ea lege agitur de ſignatis ſimul duorum teſtamentorum codicibus. Salmaſius notaverat quid eſſet antiquis *ſignare* vel *obſignare teſtamenti tabulas* vel alias, pleroſque celebres Juriſconſultos ignoraſſe, & in his nominatim Hotomannum recenſuerat. Hic enim in libro de verborum Juris ſignificatione ſcripſit, *obſignatis tabulis agere* cum aliquo, quod ſæpe in veterum ſcriptis occurrit, id eſſe ac dici *cum pactio in tabulas refertur*. Ex qua interpretatione clare patefecit ſe neſciſſe quid eſſet tabulas obſignare. Non aliter autem tabulæ Teſtamenti obſignabantur, quam aliæ ſyngraphæ ex quibus agebatur cum aliquo. Quid contra hæc tu, ô Ludimagiſter olim, nunc vero fori Rabula, pro Hotomanni expoſitione adfers? Nihil. Cur igitur hîc canino tuo ore Salmaſium eo nomine allatras? Idem Salmaſius docuit eodem capite libri de modo uſurarum XI. eundem Hotomannum clariſſime etiam oſtendiſſe, non à ſe intellectum quid eſſet *Teſtamenti tabulas ſignare*, in hac ipſa lege interpretanda quæ meminit *duorum codicum ſimul ſignatorum*. Quid habuiſti quod objiceres Salmaſianæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

reprehenſioni, ô Lotharingice bubale? Etiam nihil. Quid vis igitur? an impune vobis eſſe cum erratis, vobis nimirum qui magni Doctores Juris haberi vultis? Notavit quoque Salmaſius non ſolos hodiernos Juriſconſultos ignoraſſe quid eſſet *Teſtamentum ſignare*, ſed aliquot etiam veterum in eadem culpa deprehendi, quia eorum ætate exoleverat vetus illa ſignandi ratio, ut de Iſidoro nominatim idem Salmaſius notavit. Quid tu ad hæc hiſcere potuiſti, dic Mule, niſi mutus es? Quænam hîc temeritas aut confidentia Salmaſii? An illis quos reprehendit, debuit parcere tanquam divæ Themidis ſacris antiſtitibus? An putaſti *ſignare* apud veteres Juriſconſultos idem eſſe, aut eundem ſignandi morem tunc obtinuiſſe cum vetus Juriſprudentia viguit, & ſub Principibus infimi ævi Romanis, & illis barbaris Regibus qui Europam occuparunt? Horum enim ætate *ſignare* idem fuit quod *ſubſcribere*, cum ſignum antiquitus idem eſſet quod ſigillum, & ſignare quod ſigillare. Sigillandi autem ſive ſignandi ultimis illis temporibus longe alia ratio fuit quã Romanorum ęvo. Nulla tum lini circumvolutio ſervata, nulla ſignorum vel ſigillorum impreſſio in ceram facta, qua linum circumligatum tabulis firmiter contineretur. Bullas cereas impreſſas ſigillo ſignantis habuere,

buere, vel adfixas imis tabulis vel inde dependentes & filo infixas. Quæ adfigebantur ſimplices erant, quæ adpendebantur duplices. Ideo & δίπτυχοι dicebantur, ut hodie videre eſt in diplomatis noſtrorum Regum & aliorum Principum. Inde κηρόβουλλα dicta quæ ex cera, χρυσόβουλλα quæ ex auro, ut olim Imperatoribus Conſtantinopolitanis uſurpata; alia μολιβδόβουλλα, qualia ſunt quibus hodie & Papa utitur. Oſtende ſi potes has bullarum & ſigillorum ex metallo aut cera formas olim ſub Juriſconſultis fuiſſe uſitatas. Sed de his nos infra pluribus. Non mirum igitur, cum tam diverſè ſumptum ſit verbum *ſignare* apud Antiquos & Neotericos, & alia apud hos & illos ſignandi ſive ſigillandi conſuetudo invaluerit, ſi plerique etiam vetuſtiorum hæc confuderunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

CAP. IV.

In lege ſupradicta exponenda iterum opera ſumpta. Ad eam recte explicandam duo requiri. Primum, quid intellexerit Iuriſconſultus codicum appellatione: deinde, quomodo intelligendi ſint duo codices ſimul ſignati. Per duos codices, duo Exemplaria teſtamenti recte interpretatum Salmaſium. Heraldi impudentia & imperitia notata. Tabulas teſtamenti, Teſtamenta, Codices & Exemplaria teſtamenti συνωνύμως dici. Exemplum eſſe ἀντίγραφον.

SEd tempus eſt ad legem ipſam accedamus, & interpretationem Salmaſii quam tot modis ſuggillat Heraldus. A lectore tantum æquiore poſtulo ut antequam Animadverſiones inſolentis pædagogi legat, Salmaſii obſervationes adeat. Ex eis pellectis cognoſcet quantum ratio & bona mens fugerit rabioſum hunc rabulam. Non enim alia opus eſt refutatione nugarum quas hîc congeſſit, quam lectione illius obſervationis. Nihil enim quod ad rem faciat reponit. Argumenta omnia Salmaſii intacta prætetit. Solis convitiis rem peragit & calumniis ſe dignis, frontique ſuæ melius inurendis earum notis. Primum in ea lege Salmaſius *duos codices* dixit duo eſſe exemplaria teſtamenti. Sic enim lex habet; *Sed etſi quis in duobus codicibus ſimul ſignatis alios atque alios hæredes ſcripſerit, & utrumque extet, quaſi ex uno competit bonorum poſſeſſio, quia pro unis*

tabulis

tabulis utrumque habendum eſt. Duo ſunt in hac lege explicanda, primum quid intellexerit Juriſconſultus *codicum* nomine, deinde quomodo intellexerit, *duos illos codices ſimul ſignatos.* Ad primum quod attinet, per *duos codices*, duo Teſtamenti exemplaria Salmaſius intelligi voluit, ſive duas teſtamenti tabulas, atque etiam duo teſtamenta. Hoc ex lege ipſa adeo manifeſtum oſtenditur, ut lux non ſit liquidior medio meridie. Hæc enim tria *συνωνύμως* in ea poſita ſunt, *Codices*, *Teſtamenta* & *Tabulæ.* Dicit enim, *& utrumque extet*, nempe teſtamentum. Teſtamentum autem unum, unæ ſunt tabulæ & unus codex. Ergo duo codices ſunt duo teſtamenta, duæ tabulæ, duo exemplaria. Et tamen cum hæc ſint certiſſima & cæco etiam clara, cæcior talpa Cauſidicus in ſecundo paragrapho primæ ſuæ Animadverſionis neminem eſſe dicit quantumvis triſtem qui Salmaſiana illa legendo riſum continere queat, nempe quia ſcripſerat *in duobus Codicibus ſignatis* teſtamentum de quo agitur fuiſſe ſcriptum, & proinde duos codices ſimul ſignatos duo eſſe exemplaria quæ teſtator ſimul ſignanda *curaverat*, *id eſt ſimul liganda & obſignanda, ita ut duo pro uno haberentur ſic ſimul juncta.* Quid in his riſu dignum? Homo tamen ſeverus affirmat quamvis hæc ridicula forent,

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

non tamen ſibi riſum excitaſſe. Cur ita? Quia à viro profecta erant quem ſedulo amabat. O beſtia, ſi Salmaſium tunc amabas, quis te mutavit? Cur omnes occaſiones captaſti in illis tuis libris obſervationum & de rerum judicatarum auctoritate, ut eum quo jure quaque injuria carperes? Cur cum eum defenſionem parare audires contra tuas ridiculas cenſuras, trecentos ei Corcyreos maſtigas, atque ut in aliis litteris ſcriptum vidi, *trecentas virgas*, quaſi puero ſub ferula tua pædagogica conſtituto, minatus es? Hæc cum ab amicis accepiſſet, ea re ſe commoveri ſenſit ad aſperius paulo tractandum quam ſe deceret illum qui tam atrocem ſibi denuntiarat caſtigationem. Roſæ tamen ſunt illæ & violæ quibus te aſperſit, præ iſtis quibus amiculum tuum antiquum obruis contumeliarum & maledictorum acerbitatibus intolerandis. At tunc ne ridere quidem eum ſuſtinebas. Sed ad rem redeamus, & de primo quidem agamus prius. Quod Salmaſius voluit *duos codices* eſſe duo exemplaria, dixeras in obſervationibus, *duos illos codices non fuiſſe duo exemplaria, ſed videri fuiſſe duo teſtamenta.* Hoc tam abſurdum Salmaſio viſum cum eſſet, ut miſeratione potius quam riſu dignū deputaret, quæſivit à te ſi *duo codices* in ea lege accipi non poſſent pro duobus exemplaribus,
quid

quid ergo eſſent, aut quid ſignificarent? Qua ratione ex tua ſententia fieri poſſet ut duo illi duorum teſtamentorum codices, codices eſſent & tamen non eſſent exemplaria teſtamentorum? Quid ad illa reſpondiſti? Dicis Num. v. tuæ animadverſionis, videre te quid Salmaſium feſellerit. *Exemplar nempe Teſtamenti & Teſtamentum rem unam atque eandem exiſtimaſſe, & quia duos codices eo paragrapho videbat duo eſſe exemplaria, quomodo ab Vlpiano præcedenti paragrapho appellata fuerant, duos illum codices, pro duobus teſtamentis accepiſſe.* An aliter debuit accipere aut potuit, dic ô Coryphæe τῆς νομικῆς, & ocelle Rabulariæ? Si idem Ulpianus præcedenti paragrapho, duo exemplaria poſuit pro duabus tabulis teſtamenti & pro duobus teſtamentis, an peccavit Salmaſius ſi duos codices & duo teſtamenta apud eundem Ulpianum in ſequenti Paragrapho de duobus exemplaribus interpretatus eſt? An negabis duo exemplaria dici in hac lege duas tabulas duoſque codices? *Si quis*, inquit, *in duobus exemplaribus ſcripſerit teſtamentum, & aliud extet, aliud non extet, extare tabulæ teſtamenti videntur.* Annon exemplaria hîc ſunt tabulæ? An non & Codices? Quis umquam negavit, aut quis neſcit codices eſſe tabulas? quomodo igitur aliter accipi queant in eo qui ſequitur Paragrapho ejuſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

dem Ulpiani duo codices, quam pro duobus exemplaribus eodem ſenſu quo in præcedente Paragrapho ea vox poſita eſt? Continuò enim ſubjungit Juriſconſultus; *Sed & ſi quis in duobus codicibus ſimul ſignatis alios atque alios hæredes ſcripſerit.* Quid apertius quam hîc *Codices* eum dicere quæ in proxime præcedente Paragrapho *Exemplaria* vocaverat? Nam cum ſcripſiſſet, *Si quis in duobus Exemplaribus ſcripſerit teſtamentum*, ſtatim aliud thema proponit, *Sed & ſi quis in duobus Codicibus ſimul ſignatis alios atque alios hæredes ſcripſerit.* Unde apparet, duos hîc eſſe codices quæ ibi erant duo Exemplaria. Caſus tamen varii. Ibi *in duobus Exemplaribus* iidem hæredes ſcripti, quorum ſi unum extet, extare tabulas teſtamenti ait Ulpianus. Ergo Exemplaria teſtamenti, & Tabulæ res eadem. In ſequente Paragrapho in duobus Codicibus, hoc eſt duobus Exemplaribus, alii atque alii hæredes ſcripti, non iidem ut in priore. Non unum ex duobus extat ſed duo ſimul, quia ſimul ſignata fuere. Hoc eodem Paragrapho & *Tabulæ teſtamenti* & *teſtamenta* appellantur, qui & *Codices* vocati ſunt; ergo Codices, tabulæ Teſtamenti, Exemplaria ſynonyma ſunt. Duo diverſi θεματισμοὶ duobus illis, ut dixi, Paragraphis proponuntur. Priore in duobus exemplaribus ſive codicibus ſcripti hæredes iidem, quorum

Exem-

Exemplarium ſive Codicum unus tantum extat. In altero alii atque alii hæredes ſcripti in duobus Codicibus ſive Exemplaribus ſimul ſignatis quorum utrumq; extet. Nunc videamus quid huic expoſitioni Salmaſii opponat magnum fori Pariſienſis decus an pecus, & Juriſconſultus primarius. *Scire*, inquit, *debuit Salmaſius, Exemplar cum ſimpliciter dicimus, eſſe αὐτίγραφον, & Exemplar teſtamenti, nihil aliud eſſe quam quod nos copiam dicimus.* Imo ſcire debuit ipſe, qui ſe tantum facit Juriſconſultum, cum ſit legum æque imperitus ut peritus videri vult, nuſquam hoc ſenſu *Exemplar* reperiri apud veteres Juriſprudentes. Falſiſſimum proinde eſt quod hîc ponit, Exemplar teſtamenti nihil aliud eſſe quam quod nos *copiam* dicimus. Exemplum hac notione paſſim dicunt non tantum Juriſconſulti, ſed etiam veteres auctores emendatioris Latinitatis. Ita Cicero in Epiſtolis, *ex litteris cognoſces quarum exemplum ad te miſi.* Atque ita paſſim alii. Sed à jure ipſo petamus exempla. In hoc ipſo Titulo de bonorum poſſeſſione ſecundum Tabulas §. VII. Ulpianus ita *Exemplum* poſuit. *Sed ſi unum fecerit teſtator quaſi teſtamentum, aliud quaſi exemplum.* Vbi *exemplum* eſt αὐτίγραφον Teſtamenti. Idem Vlpianus lege cætero D. de familia erciſcunda *Exemplum tabularum Teſtamenti* appellat, non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

exemplar, quod eſt ἀντίγραφον. *Hæredem earum exemplum debere dare, tabulas vero authenticas ipſum retinere aut in æde deponere.* Optimæ Gloſſæ: *Exemplum*, ἀντίγραφον, ἀντίτυπον. Item *Exemplo*, ἀντιγράφω. Hoc eſt quod dixit Scaurus, *Exemplar* eſſe quod transfertur, *Exemplum* quod non transfertur. Nam Exemplar transferri dicitur cum ex eo Exemplum deſcribitur, id eſt τὸ ἴσον. Ergo exemplar de ſcriptura authentica proprie uſurpatur. Sic textus authenticus transferri dicitur cum in aliam linguam traducitur & vertitur. Hoc *Exemplare* eſt Valerio, exemplar nimirum transferre. Nuſquam igitur *Exemplar teſtamenti* in jure pro teſtamenti ἀντιγράφῳ reperire eſt, ut nobis vellet perſuadere Pſeudojuriſconſultus, ſed ſemper pro eo *Exemplum* invenitur, ut apud *Vlpianum*, *Exemplum teſtamenti*, & *Exemplum tabularum* teſtamenti locis quos ſupra attulimus. Aliud eſt cum apud eoſdem Juriſconſultos dicitur, *unum teſtamentum pluribus exemplis conſignare*: ut in Leg. XXIV. D. Qui teſtamenta facere poſſunt, his verbis, *Vnum teſtamentum pluribus exemplis conſignare quis poteſt, idque interdum neceſſarium eſt, forte ſi navigaturus & ſecum ferre & relinquere judiciorum ſuorum teſtationem velit.* In hac quippe lege *exempla* eadem ſunt cum exemplaribus. Id notat Scaurus cum dixit *Exemplar* eſſe

quod

quod transfertur, & *Exemplum* non transferri, alios contra ſentire. Ita hocloco Florentius cujus ea lex eſt, cum dixit Teſtamentum unum *pluribus exemplis* poſſe conſignari & conſcribi, non aliud dixiſſet, ſi *pluribus exemplaribus* conſignari ſcripſiſſet. Nam hæc *plura exempla* unius teſtamenti totidem ſunt authenticæ tabulæ vel authentici codices unius teſtamenti, totidemque exemplaria quæ fidem faciunt teſtationis defuncti, & ex quibus, ſi extent & proferantur, poteſt peti bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas, cum exemplum proprie ſumtum ſi ſolum extet, ad hoc valere non poſſit, ut diſerte ſcribitur leg. 1 D. de poſſeſſione bonorum ſecundum tabulas: *Si vero id quod exemplum erat, bonorum poſſeſſio peti non poterit.* Plura igitur illa exempla unius teſtamenti quæ teſtator conſignavit peregre abiturus, ſunt quaſi tabulæ plures eodem exemplo ſcriptæ; ut vocantur leg. ult. D. de his quæ in teſtamento delentur. *Pluribus tabulis eodem exemplo ſcriptis unius teſtamenti eodem tempore dominus ſollemniter complevit.* Ut omnes hæ tabulæ unius teſtamenti authenticæ ſunt, ita exempla illa plura apud Florentium in lege ſupra ſcripta, quibus unum teſtamentum conſignatum eſt, totidem ſunt tabulæ authenticæ unius teſtamenti, ſive Exemplaria. Nam *Exempla* ea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

lege Florentius pro exemplaribus poſuit. Sic cum Princeps *eodem exemplo* ad plures Provinciarum rectores litteras ſcribit, ut in Hiſtoria Auguſta habetur & apud Suetonium, omnes hæ litteræ ſunt authenticæ & totidem exemplaria, ex quibus & exempla, id eſt ἀντίγραφα fieri poſſunt. Quis non videt & in leg. XLVII. D. de Legatis II. binas tabulas exemplarii cauſa ſcriptas ita eſſe accipiendas, nempe quæ inſtar exemplarium eſſe poſſint & authenticæ, non ut pro exemplis habeantur vel ἀντιγράφοις. Hæc cum ignoraveris, non video cur te Juriſconſultum profiteri audeas, qui verborum Juris tam parum ſis intelligens. Redi igitur, redi ab equis ad aſinos, ab arte rabularia ad vocabulariam, & in ſcholam te recipe, ut iterum ibi ludimagiſter fias.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

CAP. V.

In lege de qua agitur nullam fieri mentionem exemplarium vel exemplorum. Codicum meminit duorum ſimul ſignatorum. An Codices iidem ſint cum exemplaribus. Exemplar non eſſe idem quod barbaris copia, ſed exemplum id ſignificare. Exemplar teſtamenti & teſtamentum rem eandem eſſe. Exemplaria, Codices & teſtamenta eadem quoque eſſe. Quid ſit proprie Exemplar, nempe idem quod Platonicum ἰδέα. *Exemplum litterarum, id eſſe quod ab exemplari deſcriptum eſt, id eſt ex primitiva Epiſtola. Stupor & inſcitia Heraldi paſſim notantur.* Ἀντίγραφον *&* Ἀντίτυπον *Græcis non differre. Idem eſſe &* ἰσότυπον *cum* ἀντιτύπῳ, *ut* ἀντίθεος *idem eſt quod* ἰσόθεος.

NOn vides etiam ignoratione hîc te elenchi peccare, & fallere velle vel falli, cum dicis te videre quid Salmaſium fefellerit? Non enim hîc quæſtio eſt de vocis *Exemplar* notione, aut quomodo in jure capiatur. Lex quam nunc ventilamus nullam habet mentionem *Exemplarium* vel *Exemplorum*. De *Codicibus* agitur quorum illa nominatim meminit, cum dicit *in duobus Codicibus ſimul ſignatis* alios atque alios hæredes ſcriptos. Cum interpretatus eſt Salmaſius duos illos Codices duo eſſe exemplaria, quid peccavit? Nonne æque potuit dicere *duas eſſe tabulas*? Falſus eſt, inquis, *dum Exemplar teſtamenti & teſtamentum rem unam atque*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

eandem eſſe putavit. Oſtende tu non eſſe, & tam magnus Juriſconſultus fueris quam vis videri. Tu *Exemplar* teſtamenti doces nihil aliud eſſe quam quod nos *copiam* dicimus. Tibi dico te falſum dicere, nec poſſe id probari ullo exemplo è Digeſtis allato. *Exemplum teſtamenti* hoc dicitur, non *Exemplar.* Nam proprie *Exemplar* eſt, ut exponit Feſtus, *ex quo ſimile facimus.* Id eſt, ex quo exemplum facimus. Nam exemplum proprie ſimile eſt, & Græci recentiores τὸ ἴσον abſolute dixerunt quod Latini *Exemplum*, & Græci ἀντίγραφον. Ergo *Exemplar teſtamenti* & teſtamentum res eadem, Tabulæ nempe teſtamenti authenticæ. *Et quia*, inquis, *duos Codices eo Paragrapho videbat Salmaſius, duo eſſe exemplaria, quomodo appellata fuerant ab Vlpiano præcedenti Paragrapho, duos Codices pro duobus teſtamentis accepit.* An non rectè ita accepit? Potes tu aliquid contra quod ulla ratione nitatur, dicere? Ulpianus quinto illius legis Paragrapho, *duo exemplaria* dixit, pro *duobus teſtamentis*, vel *duabus teſtamenti tabulis authenticis.* Nihil enim his ejus verbis expreſſius. *Si quis in duobus exemplaribus fecerit teſtamentum, & aliud extet, aliud non extet, Tabulæ extare videntur, petique poteſt bonorum poſſeſſio.* Singula ergo horum exemplarium pro tabulis ſunt authenticis: nam ſi unum quodlibet horum extiterit, *tabulas videri extare* ſcribit Juriſ-

Juriſconſultus. Totidem ergo quoque videntur teſtamenta. Hoc enim ſenſu *Teſtamentum* dixit pro Teſtamenti tabulis. Cum itaque hoc Paragrapho dixerit Ulpianus *duo exemplaria* pro duabus tabulis, & in ſequenti *duos Codices*, non erravit Salmaſius qui *duos illos Codices* ſexti Paragraphi ſcripſerit eodem ſenſu poni ab Ulpiano, quo *exemplaria* prius poſuerat. Quod autem *duos illos Codices* pro duobus teſtamentis, id eſt duabus teſtamenti tabulis accepit idem Salmaſius, quid mali fecit? Nonne ipſa verba legis hoc aperte ſignificant & expreſſiſſime etiam dicunt? Nam cum dixiſſet *Codices*, ſtatim intulit, & *utrumque extet*, non *uterque*, nempe πρὸς τὸ σημαινόμενον; cum vel ad *exemplar*, cujus vocis in proximè præcedentibus verbis meminerat, vel ad *Teſtamentum* reſpexerit. *Sed etſi quis*, inquit, *in duobus Codicibus ſimul ſignatis alios atque alios hæredes ſcripſerit, & utrumque extet, quaſi ex uno competit bonorum poſſeßio, quia pro tabulis utrumque habendum eſt, & ſupremum utrumque accipietur*. Ex quibus manifeſtum eſt ad *teſtamenti* vocem reſpexiſſe. Duo igitur illi codices, duo ſunt *teſtamenta* & duo etiam exemplaria, duæque etiam Tabulæ, nam ita vocantur in lege. In ſequenti Paragrapho *Teſtamentum* ita poſuit pro Teſtamenti tabulis vel Codice; *Sed ſi unum fecerit teſtator*

quaſi teſtamentum, aliud quaſi exemplum. Ergo *Teſtamentum* in hac lege pro teſtamenti codice eſt, vel Tabulis teſtamenti, *Exemplum* pro ἀντιγράφῳ teſtamenti vel tabularum teſtamenti. Si extet teſtamentum vel Codex teſtamenti, peti ex eo poteſt bonorum poſſeſſio, ſi non extet, ſed ſolum ejus exemplum, copia vulgo dicitur, non poteſt peti. Titulus ipſe de quibus Tabulis illi *duo Codices* accipiendi ſint, declarat, qui de poſſeſſione bonorum eſt ſecundum *Tabulas*, nempe authenticas, non earum exempla. Non enim poſſe peti bonorum poſſeſſionem ex tabularum exemplo diſerte Ulpianus pronuntiat Paragrapho ſeptimo ejuſdem legis. Sed & idem Paragrapho ſexto quo duo Codices nominantur, tabulæ etiam appellantur, nempe authenticæ, & ab exemplo diverſæ. *Codicem* porro de Scriptura teſtamentaria ac Tabulis teſtamenti Latine dici, poteſt probari pluribus authorum teſtimoniis, atque etiam Juriſprudentium. Iuvenalis, *Et codice levo Heredes vetat eſſe ſuos.* Suetonius in Auguſto tradit teſtamentum *ab eo factum duobus codicibus, partim ipſius, partim libertorum Polybii & Hilarionis manu ſcriptum.* An aliud intelligendum eſſet, ſi *duobus exemplaribus* dixiſſet? Innuit autem alterum Auguſti manu ſcriptum fuiſſe, alterum libertorum ejus Polybii & Hilarionis. *Binas Tabulas* eodem

exemplo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

exemplo ſcriptas ab Auguſto æque potuit dicere, pari prorſus ſignificatione. Pro eo dixit in Tiberii vita *duplex Teſtamentum eum feciſſe, unum ſua, alterum liberti manu, ſed eodem exemplo*. Hoc eſt, ut Græce dixit in Inſtitutis Theophilus ἰσοτύπως. Duplex illud Teſtamentum, duo ſunt Codices unius teſtamenti. Sic enim & *Teſtamentum* pro exemplari vel Codice Teſtamenti à Juriſconſulto dici jam ſupra notavimus. Juſtinianus in Inſtitutis, vel Gajus potius, Titulo de Teſtamentis, plures *Codices* pro pluribus *Exemplaribus* poſuit: *Sed & unum Teſtamentum pluribus Codicibus conficere quis poteſt*. An negari poteſt eundem futurum ſenſum ſi ſcripſiſſet, *pluribus exemplaribus*? Certe Florentius pro eo dixit *pluribus exemplis*, cum vocem *exempli* pro Exemplari uſurpaſſet, *unum Teſtamentum pluribus exemplis conſignare quis poteſt*. Pro quo Gajus dicere maluit, *pluribus codicibus*. Alius eadem mente dixiſſet, *pluribus exemplaribus*. Unum itaque teſtamentum pluribus exemplaribus, Tabulis, Codicibus eodem ſignificatu dicitur, ut *plura Teſtamenta eodem exemplo*. Arnoldus Vinnius celebris Juris Profeſſor in Academia Leydenſi, quem honoris cauſa nomino, in doctiſſimo ad eum Inſtitutorum locum Commentario Salmaſianam hujus legis interpretationem non dubitavit probare ac laudare &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

egregiam dicere, quam tu cum tanto faſtidio vel veſania potius explodis. Et tamen Vinnius plus Juris ſcientiæ in ima gerit auricula quam Deſiderius Heraldus in toto ſuo capite. Sed ille docte ſapit ac ſolide, tu ſtolide deſipis. Theophilus ita Græce reddidit eum Inſtitutorum Paragraphum, Δύναται τὶς διατιθέμενος πολλὰς ἰσοτύπως γράφειν διαθήκας. *Poteſt quis plura eodem exemplo ſcribere Teſtamenta.* Sic enim melius in Græcis legitur & ſcriptis Codicibus, quam quod edidit Fabrotus, πολλὰς ἰσοτύπους γράφειν διαθήκας. Notandum autem in his verbis, διαθήκας ita dici ut Latine *Teſtamenta* pro teſtamenti unius pluribus Codicibus vel Exemplaribus eodem exemplo ſcriptis. Nam *ἰσοτύπως* idem valet quod Latinum *eodem exemplo.* Mirum te, qui præ te nullum putas doctum Juriſconſultum, ex illo Inſtitutorum loco non vidiſſe *pluribus Codicibus facere teſtamentum*, idem eſſe quod pluribus exemplaribus, quod ais uſitatum eſſe Juriſconſultis. An etiam negabis idem eſſe Suetonii *in duobus Codicibus* factum ab Auguſto teſtamentum, & quod Ulpianus dixit *in duobus exemplaribus*? Si non negas, ergo *Codices* & *exemplaria* teſtamenti res omnino eadem. Cur igitur in obſervatione tua XLIX. ſtulte ita ſcripſiſti? *Cave heic duos Codices accipias pro duobus exemplaribus.* Si ſic tuis clientibus cavere

vere ſoles, næ illi fruſtra ſæpe metuunt, quod non eſt cavendum. Si poteris heic cavere ne imperitiſſimus omnium hominum habearis, magnam certe rem præſtiteris. Sed video, ut tua tibi verba reddam, quid te fefellerit. Pro inſcitia Latinæ linguæ, quam tamen ludimagiſter in Schola Sedanenſi pueros olim docuiſti, perſuaſum videris habuiſſe, vocem *Exemplar* ſimilitudinis ſignificationem ita habere ut cum duo aut plura *exemplaria* dicuntur, neceſſe ſit ex vi & proprietate nominis de paribus Codicibus & ἰσοτύποις ea intelligi. Pro eadem quoque imperitia ſtultam notaſti diſtinctionem inter *Exemplar* cum ſimpliciter dicitur, & cum Iuriſconſulti dicunt *teſtamentum pluribus exemplaribus ſcriptum*. Si qui te Latine doctum adhuc exiſtimant, hæc legant & decipi deſinant. Falſum eſt primo quod ais, *Exemplar* cum ſimpliciter dicitur, ſignificare αὐτόγραφον. Imo falſiſſimum. Nam eſt proprie πρωτότυπον ad quod reſpiciens artifex opus ſimile illi elaborat. Feſtus: *Exemplar ex quo ſimile faciamus, quod oculis conſpicimus.* Hinc quæ Platoni eſt idea, quinta rerum cauſa, Senecæ *Exemplar* eſt, Epiſt. LXV. *His quintam Plato adjicit, Exemplar, quam ipſe ideam vocat. Hoc eſt enim quod reſpiciens artifex, id quod deſtinarat efficit.* Quinque has cauſas ita numerat & memorat Plato, eodem teſte Seneca.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Seneca. Id ex quo, id à quo, id quo, id ad quod, id propter quod. Ut in ſtatua fabricanda, id ex quo æs eſt, id à quo artifex eſt, id quo forma eſt quæ aptatur illi, *id ad quod exemplar eſt, quod imitatur is qui facit*. Ergo *exemplar* πρωτότυπον eſt ad quod reſpiciens artifex ſimile ex eo ducit. Qui ſcripturam auctoris autographam tranſcribit, eam pro originali & prototypo reſpicit & exemplum ab ea tranfert, quod ἀντίγραφον dicitur vel ἀπόγραφον. Non igitur hoc ſenſu exemplar *copia* eſt, ut inſcite tibi placet, ſed exemplum. Ita loquuti ſunt optimi Latinitatis authores; Cicero, Saluſtius & tui etiam, quos non intelligis, Juriſconſulti. *Exemplum Litterarum* Saluſtio & Ciceroni eſt ἀντίγραφον τῶν γραμμάτων, *litteræ ipſæ* prototypon & Exemplar. Et ſane hæc vox ut & aliæ ſimiles cum hac terminatione collectivam multitudinis habent ſignificationem. *Exemplar* vel *exemplarium*, tot enim modis dicitur, eſt ex quo multa ſimilia & exempla duci queunt. Sic *Extar* vel Extarium olla eſt in qua exta plura coquuntur. *Caliclare* vel caliclarium in quo calices multi reponuntur. *Altar* vel altare vel altarium in quo *alta*, id eſt σιτευτὰ adolentur. Vnde *Altiles*. Non enim aris imponebantur adolendæ niſi ſaginatæ & pingues victimæ. *Cochlear* in quo cochleæ reponuntur. Hæc dices eſſe Grammatica. Fa-

teor,

teor, ſed tu neque bonus es Grammaticus neque bonus Juriſconſultus, & Criticus omnium peſſimus. Poſtquam dixiſti *Exemplar* cum ſimpliciter dicitur eſſe ἀντίγραφον, continuo ſubjicis, & *Exemplar teſtamenti nihil aliud eſſe quam quod nos copiam dicimus.* Egregie ſane, non poteras magis quam imperitus ſis Grammaticæ & Latinæ etiam linguæ oſtendere. *Exemplar*, inquis, abſolute & ſimpliciter dictum eſt ἀντίγραφον. Ergo Teſtamenti Exemplar eſt teſtamenti ἀντίγραφον. Quam præclare ratiocinaris? Atqui *Exemplar* abſolute & ſimpliciter dictum eſt πρωτότυπον cujuſlibet rei, quod artifex contemplatur & in conſpectu habet ut ex eo ſimile faciat. Quam longe abeſt hoc ab ἀντιγράφου notione? Cum vero dicimus *teſtamenti exemplar*, non jam exemplar ſimpliciter & abſolute dicitur, ſed cum adjecto. At ne hoc quidem verum eſt, *Exemplar teſtamenti*, uſquam apud Latinos auctores aut Juriſconſultos reperiri pro eo quod barbari dicunt *copiam teſtamenti.* Jam tibi oſtendimus id eſſe *exemplum teſtamenti*, ut Ulpiano vocatur in hoc ipſo Titulo, & alibi *Exemplum tabularum.* Exemplar vero teſtamenti nihil aliud poteſt eſſe quam prototypon & autographa authenticaq; ſcriptura teſtamenti, cum ἀντίγραφον Juriſconſultis non tuis, quos tam male capis ac tenes, exemplũ ſit teſtamenti,

Sub-

Subjungis deinde alterum membrum diſtinctionis tuæ, & ſtuporem ſimul talem prodis cui non puto parem poſſe inveniri. At cum, *Iuriſconſulti*, inquis, *aut alii dicunt teſtamentum pluribus Exemplaribus ſcriptum*, *tum Exemplar non eſt* ἀντίγραφον *ſed* ἰσότυπον. Iſte tuus ſtupor nihil videt, nihil ſentit, nihil ſapit. An potuiſti credere diverſam eſſe loquutionem, cum *teſtamenti exemplar* vel *exemplaria* dicuntur, & unum teſtamentum *pluribus exemplaribus* ſcriptum? Si Exemplar unum vel exemplaria plura teſtamenti unius ſunt ἀντίγραφα, teſtamentum ſcriptum pluribus exemplaribus nonne illud ipſum ſignificabit quod pluribus ἀντιγράφοις deſcriptum erit? Pone aliquam differentiæ rationem & vir per me eſto, vel etiam Juriſconſultus quantumlibet catus. Stupidus etiam inſanum in modum videris & prorſus inſcitus, cum inter ἀντίγραφον & ἰσότυπον eam diſtinctionem inducis quæ eſt inter Exemplar & exemplum. Quod jure tamen à te factum fateor. Nam ut Exemplum ab Exemplari non differt, ita nec ἰσότυπον ab αὐτογράφῳ. Siquidem omne ἀντίγραφον ſimile eſt, id eſt ἰσότυπον ſuo αὐτογράφῳ ſive πρωτοτύπῳ, ut exemplum ſuo exemplari. Rationem addis cur Exemplar non ſit ἀντίγραφον, ſed ἰσότυπον cum teſtamentum dicitur pluribus Exemplaribus ſcriptum; *quia* inquis, *omnes illius*

teſta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

teſtamenti Codices ſunt ejuſdem formæ omnino, nec differunt niſi numero, cum ſint diverſi codices. Ubi ſunt bombardæ Patris tui? longè plus mentis habebant quam tu habes, etiam cum inanes erant. Rationem dixit aliquis eas eſſe ultimam regum. Tu vero hic ſine ulla bona ratione in ſicco deprehenderis. Nonne etiam ſic omnia ejuſdem antographi ἀντίγραφα ſunt inter ſe ἰσότυπα? Cur igitur hic diſtingui tibi placuit ἀντίγραφον & ἰσότυπον, cum omnia αὐτόγραφα ejuſdem teſtamenti ſint ἰσότυπα? Quinimo ipſum quoque ἀντίγραφον ἰσότυπον plane τῷ αὐτογράφῳ unde deſcriptum eſt, ut exemplum exemplari ſuo ſimile. Ergo ſecundum tuam illam egregiam diſtinctionem nulla ponetur differentia inter αὐτόγραφον & ἀντίγραφον, quia omnino hoc illi eſt ἰσότυπον. ipſa vero ejuſdem Scripturæ ἀντίγραφα, quæ alia vis eſſe ἀπὸ τῶν ἰσοτύπων, velis nolis, ἰσότυπα quoque erunt inter ſe. Jam puto ſentis, bellua, quantopere à veri regione avius vageris, qui tam ineptas & falſas vocum ἰσοτύπου & ἀντιγράφου differentias commentus fueris, quas nullo auctore probare poſſis veras, nulla ratione. Eſt quidem aliquod inter hæc vocabula diſcrimen, ſed non quale finxiſti. Ἰσότυπον generale eſt de omni re quæ alteri ſimilis eſt, ut & ἴσον. Ἀντίγραφον vero ſpeciale eſt, de ſcriptura quæ ſimilis eſt

alteri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

alteri authenticæ & originali, utpote ab ea tranſlata & exſcripta, quæ proinde etiam ἰσότυπ☉ ei dici poteſt, ſicuti eſt. Ita omne ἀντίγραφον ſuo αὐτογράφῳ ἰσότυπον, & ipſa quoque ἀντίγραφα ejuſdem exemplaris inter ſe ſunt ἰσότυπα, ſed non omnia quæ dicuntur & ſunt ἰσότυπα etiam ἀντίγραφα ſunt censenda. Nam plura poſſunt ab eodem auctore vel teſtatore voluntatis ſuæ fieri autographa, quæ quamvis inter ſe ſint ἰσότυπα, non tamen erunt ἀντίγραφα. Sic teſtamentum unum in pluribus Exemplaribus aut Codicibus vel Tabulis ſcriptum dicetur, quæ omnia exemplaria erunt quidem inter ſe ἰσότυπα, quia eadem manu ſcripta & eadem mente concepta, nihilo tamen ſecius nullum non horum erit αὐτόγραφον & authenticum, quia nullius alterius ἀντίγραφον & Exemplum. Operæ pretium eſt & hîc tua verba apponere quibus hoc explicas, quia ſane mentem tuam præferunt, id eſt amentem. *Quare unum*, inquis, *non eſt alterius exemplar, ut Codicis authentici, ſed omnes ſunt ſibi invicem exemplaria, id eſt ἰσότυποι.* Non memini me videre in ullo exemplum ſimilis ſtupiditatis & inſaniæ. Cum plures Codices unius Teſtamenti ſint ejuſdem formæ, ἰσότυποι quoque ſunt. Quare? Quia nullum ex his eſt alterius exemplar, ſed omnes ſunt ſibi invicem

exem-

exemplaria. Sunt Exemplaria invicem & non ſunt exemplaria alterius. Ita exemplaria ſunt & non ſunt. Sed aliquod latet in illis tuis verbis acumen, quod nondum fortaſſe potui deprehendere. Videris velle aliud eſſe *Exemplar* cum ita ſingulari numero effertur, aliud *Exemplaria* cum pluraliter ſonant. Sic *Exemplar teſtamenti* dicebas eſſe ἀντίγραφον, & id quod *copiam* vulgo dicimus, at cum teſtamentum in pluribus *exemplaribus* ſcriptum dicitur, tum exemplaria non eſſe ἀντίγραφα, ſed ἰσότυπα. Videor ſane reperiſſe non quod pueri in faba, ſed longe aliud majus, quod tota Grammatica cum Juriſprudentia juncta non me potuit docere. Si hoc non eſt, doce nos quid velis, & aperi tuum ſecretum quod non videmus. Interim docebo ego te, niſi diſciplinam indignaris, fruſtra te eſſe, cum *exemplaria* vis eſſe ἰσότυπα, cum ſint πρωτότυπα. Multa quidem poſſunt dari & fieri πρωτότυπα ejuſdem rei, ac quæ inter ſe quoque ſint ἰσότυπα, ſed non propterea ferri poteſt differentia τῶν ἰσοτύπων & τῶν ἀντιγράφων quam ponis, cum & ἀντίγραφα plura ejuſdem ſcripturæ ſint inter ſe ἰσότυπα, ut ipſi quoque αὐτογράφω. Sed nec *Exemplaris* & *Exemplarium* aliquod eſt diſcrimen, quaſi *exemplar teſtamenti* ſit ἀντίγραφον, & *exemplaria* plura ejuſdem teſtamenti ſint ἰσότυπα, non ἀντίγραφα. Quæ

mera monſtra ſunt, diſperdenda bombardis Patris tui ſi viveret, & diſſipanda. Si *exemplar teſtamenti* idem eſt quod ἀντίγραφον, ut placet tibi, ô ſideratæ mentis Deſideri, *Exemplaria* quoque plura teſtamenti unius ſimiliter erunt ἀντίγραφα. Numquid aliter poſſis dicere? Ut enim de uno exemplari, ſicut à te accipitur, *exemplum* dicunt Juriſconſulti, quod vendita hæreditate debet hæres dare qui ipſe ſervat Tabulas authenticas, ita etiam fieri poſſet argumento legis IV. D. de familia erciſcunda, ut pluribus hæredibus vel legatariis Exempla tabularum dari debeant, remanente authentico codice apud eum qui hæres eſt ex majori parte. Ea igitur *Exempla* ſive ἀντίγραφα, ſive *deſcripta tabulæ* ut vocantur in ſupra ſcripta lege, cur non etiam vocabuntur *Exemplaria*, ſi exemplar teſtamenti eſt ἀντίγραφον? Atqui apud Ulpianum leg. I. de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas π. v. *Exemplaria duo* de tabulis authenticis dicuntur, non de apographis & deſcriptis. Ergo *Exemplaria* duplicem habebunt ſignificationem, tam primitivę ſive principalis ſcripturæ, quam ex ea tranſlatæ. Dic aliquem, dic, ô Procule, colorem qui tam procul es à Jure. Noluiſti nos credere te eſſe peritiorem in Græcis quam in Latinis litteris. Ecce enim alterum imperitiæ tuæ prodigium, majoribus hoſtiis

ſtiis procurandum. Ἰσότυπον Græce nobis hîc ponis pro eo quod eſt ἀρχέτυπον vel πρωτότυπον. Ita enim ἀντίγραφον diſtinguis ab ἰσοτύπῳ, ut Græci auctores diſtinguere illud ſolent à πρωτοτύπῳ. Cum autem πρωτότυπον vel ἀρχέτυπον ſit id quod intuetur artifex ut ſimile ex eo efficiat, quod ἀντίτυπον atque etiam ἰσότυπον Græcè dicitur à ſimilitudine quam habet cum archetypo, tu vis nova plane & inviſitata inſcitia non exemplum ſimile eſſe exemplari è quo deſumptum ac deſcriptũ eſt, & ἰσότυπον ἀρχετύπῳ, ſed mutata rerum natura archetypum habere expreſſam apographi vel ἰσοτύπου ſimilitudinem. Quod idem plane eſt ac ſi quis diceret, patrem ſimilem eſſe filio, non filium patri. Sane ut pater & filius relata ſunt, ita ἀρχέτυπον & ἀντίτυπον, quod etiam dicitur ἰσότυπον, exemplar & exemplum. Scriptura illa principalis & originaria, hæc deſcripta. Αὐτόγραφον & ἀντίγραφον etiam ſic opponuntur. Nam αὐτόγραφον primitiva eſt ſcriptura, ἀντίγραφον imitatione expreſſum ex autographo. Dio vocat αὐτόχειρον in Caligula, & quod ex eo imitatum ſit ad ſimilitudinem originalis, ἀντίγραφον. Διέφθειρεν μὲν γὰρ ὡς ἀληθῶς γράμματά τινα, οὐ μέντοι κἀκεῖνα τὰ αὐτόχειρα τὸν ἀκριβῆ λόγον ἔχοντα, ἀλλ' ἀντίγραφα αὐτῶν ποιήσας. Hæc ἀντίγραφα etiam ἀντίτυπα dicebantur, quia referebant τύπον & chara-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſterem τῶν αὐτογράφων & πρωτοτύπων. Gloſſæ, *Exemplum*, ἀντίγραφον, ἀντίτυπον. Hoc idem & ἰσότυπον. Ut enim ἀντίθετος idem eſt qui ἰσόθετος, & ἀντίζυγον idem quod ἰσόζυγον, ἀντίρροπον idem quod ἰσόρροπον; ſic plane ἰσότυπον idem eſt quod ἀντίτυπον, quia artifex vel librarius qui librum tranſcribit, habet ante ſe vel appoſitum exemplar & πρωτότυπον unde exemplum deſcribit. Inde etiam τὸ ἴσον Græci recentiores pro exemplo quod è prototypo expreſſum & exſcriptum eſt dixere, ut pluribus probavit Salmaſius in obſervationibus ad jus Atticum & Romanum. Sed durum ſinciput Lotharingici bubali, ex ære paternarum Machinarum factum neſcit cedere melioribus, & mavult errores ſuos tueri quam fateri. Ita enim obſtinate illud ſuum defendit de ἰσοτύπῳ, quod idem eſſe vult cum ἀρχετύπῳ, ut ſectione XXVI. & ultima hujus primæ Animadverſionis ſe tot teſtimoniis id comprobaſſe dicat ut novis opus non ſit. Hæc ejus verba ſunt improbi Capitonis. *Quod autem* ἰσότυπον *vult eſſe* ἀντίγραφον, *id à nobis in obſervationibus tot teſtimoniis eſt confutatum, quibus ne unum quidem ullius ſcriptoris locum opponit, ut novis teſtimoniis velle id confirmare ſit hominis otio ſuo abutentis.* Tot illa teſtimonia, quibus impurus nebulo mentitur ſe confutaſſe ſententiam Salmaſii, qua ſcripſit ἀντίγραφον

idem eſſe cum *ἰσοτύπῳ*, ad duo Theophili loca reducuntur quæ non intellexit. In priore *ἰσότυποι διαθῆκαι* non nominantur, ſed *πολλὰς διαθήκας ἰσοτύπως γράφειν*, ut in Codicibus ſcriptis habetur. Quod Latine poteſt optimè reddi, *teſtamenta plura eodem exemplo conficere.* Idem ſenſus exiſteret, ſi ſcriberetur, *πολλὰς διαθήκας ἰσοτύπους γράφειν*, *plura teſtamenta paricula facere*, vel *eodem exemplo.* Nam & paulo poſt *ἰσότυπα τῶν διαθηκῶν* appellat, id eſt exemplaria. *τοῦτο γὰρ δι' ἀναγκαῖον ἐστὶ τὸ εἶναι πολλὰ τῶν διαθηκῶν ἰσότυπα.* Ex his ſolis duobus locis contendit *ἰσόπυπον* idem eſſe quod *πρωτότυπον*, & aliud quam *ἀντίγραφον*. Hæc ſunt tot auctorum teſtimonia quæ ad unum reducuntur. Si enim dixero plura teſtamenta eodem exemplo ſcripta, non inde ſequitur, ut *exemplum* ſit idem quod authenticum teſtamentum, quamvis illa omnia teſtamenta invicem ſibi ſint *ἰσότυπα*, id eſt eodem exemplo ſcripta, & omnia authentici exemplaris loco habenda. Nam ut jam ante docui, *ἰσότυπον* generale eſt ut & *ἴσον*, idemque ſignificat quod ſimile vel ſimilis formæ. Cum ſimilia igitur ſint plura exemplaria eodem exemplo & *τύπῳ* facta, etiam inter ſe ſunt *ἰσότυπα*. Nec tamen inde efficies *ἰσότυπον* idem proprie eſſe quod *πρωτότυπον*, nec exemplum idem quod exemplar. Exemplaria quippe plura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

eodem exemplo facta, ſunt ἰσοτύπως γεγραμμένα, ſunt etiam inter ſe ἰσότυπα, ſed nō ſunt tamen exempla, nec abſolute ἀντίτυπα aut ἰσότυπα. At Theophilus altero loco ubi dicit debere eſſe τῶν διαθηκῶν πολλὰ ἰσότυπα, ita voce ἰσοτύπου abuſus eſt ut Florentius voce *Exemplorum*, quæ poſuit pro exemplaribus. Neget hoc ſi poſſit os ferreum in illis verbis quæ jam ſupra adduximus: *Vnum teſtamentum pluribus exemplis conſignare quis poteſt*. Dicat, ſi audet, *Exempla* hic eſſe eadem cum exemplaribus cum in obſervationibus jam ſcripſerit *Exempla proprie non eſſe* ἰσότυπα *ſed* ἀντίγραφα. Neget etiam ſi poteſt, in hac lege Florentium *Exempla* pro exemplaribus abuſive poſuiſſe. Græci Βασιλικῶν interpretes ad verbum vertendo non aliter reddere potuerunt, quam πολλοῖς ἰσοτύποις δυνατόν τις γράφειν μίαν διαθήκην. Similis eſt abuſus in Græco & in Latino. Inde accepit Theophilus cum dixit πολλὰ ἰσότυπα τῶν διαθηκῶν, *multa exempla teſtamentorum* pro exemplaribus. Nam ἰσότυπον proprie idem eſt quod *Exemplum*, quia ſimile eſt & ἴσον archetypo vel prototypo. Quod negare, ratione eſt carere, ac pro ſincipite culum bombardæ habere. Et ſane locus ille Inſtitutorum Juſtiniani videtur plane expreſſus ex illa lege XXIV. D. de Teſtamentis, quæ deſcripta eſt ex libro decimo Inſtitutionum Florent. Si

ἰσόθεος

ἰσόθεος idem quod ἀντίθεος; ſic enim exponit Heſychius ἀντίθεος, ἰσόθεος, nonne ἰσότυπον & ἀντίτυπον idem fuerit? Atqui ἀντίτυπον idem quod ἀντίγραφον vel exemplum. Qui hoc negaverit, dignus eſt bombardam nudo podice per hyemem inequitare intenſiſſimo frigore quale nunc ſpirat.

CAP. VI.

Fuſius tractatur ac diſputatur de Exemplaribus quod ſint eadem cum Codicibus exemplaris cauſa ſcriptis. Exemplar id eſſe propriè de quo exemplum ſumitur. Ideo exemplum dici Græcis ἰσότυπον, quia ſimile ſit exemplari, non contra. Inſcitia & ineptia Heraldi multis depalata.

AB ea ſtulta & inſcita obſervatione quæ ſciſcit ἰσότυπον idem eſſe quod πρωτότυπον, & utrumque ſeparat ab ἀντιγράφῳ vel *exemplo*, perſuaſit ſibi febriculoſum ſilicernium, *Exemplaria*, non alia eſſe nec dici aliter quam quæ invicem ſibi ſunt ἰσότυπα. Ideo *Codices* diverſos facit ab *Exemplaribus*, quia cum plura dicantur *exemplaria*, ſimilia eſſe & ἰσότυπα invicem ea eſſe oporteat, quod non idem ſit de Codicibus. Ergo qui dixerit, *teſtamentum pluribus codicibus factum eodem exemplo*, recte dixerit, non item *pluribus Exemplaribus* eodem exemplo, quia nempe ſatis ſit dicere *pluribus Exemplaribus*, cum exemplaria ἰσότυπα ſint, & hanc ex vi nominis ſui

proprietatem ſignificationis habeant. Quod ita eſt ridiculum, ut etiam illis riſum movere poſſit qui nunquam riſerint. Quid ergo? Cum canit Horatius, *Exemplaria Græca nocturna eſſe manu verſanda ac diurna*, an ἰσότυπα intellexit ea omnia exemplaria quæ præcipit evolvenda? Ita ſane neceſſe eſt ſi vera eſt obſervatio Ludimagiſtri. An ſi *Codices Græcos* dixiſſet Poëta Venuſinus, non idem videretur dixiſſe? Ergo extra rem teſtamentariam, etiam *Codices* & *exemplaria* eadem ſunt. Rem propius & preſſius ſtringamus. Si dixero penes me eſſe plura Solini exemplaria, is auctor ante me erat cum hæc ſcriberem, an oportet omnia eſſe ἰσότυπα? Non omnino. Habeo plurium editionum diverſa exemplaria quæ non ſunt ἰσότυπα. Sed & eo tempore quo editum eſt illud opus recenſitum ab auctore & emendatum, reperiebantur exemplaria illius operis quæ utramque editionem continebant, primam & ſecundam. Qui utramque habebat, poterat dicere ſe habere plura exemplaria Collectaneorum Solini, quamvis multum ſtilo & ordine diſſidentia. Enimvero cum *Exemplar* ſit proprie prototypus & autographus codex, ex quo exempla plura deſcribi poſſunt quæ ἀντίγραφα ſunt, poteſt quis teſtator aut duo aut plura exemplaria autographa conficere eodem exemplo, po-

teſt & non eodem, quæ nihilominus vocabuntur *exemplaria.* Hæc non erunt ἰσότυπα, ſed tamen πρωτότυπα. Si *teſtamenta plura* dicuntur de pluribus codicibus unius Teſtamenti eodem exemplo ſcriptis, poteſt & idem dici de teſtamentis quæ non eodem exemplo ſcripta fuerint. Idem porro de *pluribus tabulis* teſtamenti, & *de pluribus codicibus*, & *de pluribus exemplaribus* partim eodem exemplo, partim diſpari confectis. Ergo & Codices, & Tabulæ, & Exemplaria teſtamenti συνωνύμως dicuntur, cum res eadem omnibus illis vocabulis ſignificetur. Quod ad vocem *Exemplar* attinet, cum proprie ſignificet τὸ πρωτότυπον, ex quo ſimilis alia ſcriptura imitatione effingitur & ſic dicatur quod exemplorum, id eſt ſimilitudinum quaſi fundus & matrix habeatur, nullam aliam habere videri poteſt ſimilitudinis notionem. Ergo *Exemplaria* de libris auctorum, & de teſtamenti tabulis autographis eadem ſunt cum authenticis codicibus è quibus *exempla*, id eſt ἀντίγραφα, ducuntur. At codices auctorum cum exemplaria appellantur, ſæpe etiam ἀντίγραφα Græci pro eodem ſolent ponere, quia & ἀντίγραφα ſimul ſunt pleraque Exemplarium & ſimul πρωτότυπα. Ut enim ab antiquioribus deſcripta ſunt, ita alia ab iis quoque nova deſcribuntur. Et ſic à nobiliori & principaliori

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

notione denominantur. Non idem eſt in exemplaribus Teſtamentorum, ſive unum fiat ſive duo, quod ut plurimum antiquis ſolitum, ſive plura. Ex his exempla ſemel deſcribebantur, non exemplorum exempla fiebant. Exemplum ſive ἀντίγραφον ex quo aliud exemplum effingitur, Exemplar eſt illius exempli, ut & exemplum alterius ex quo deſcriptum eſt. Quod in libris & codicibus auctorum, ut dixi, ſæpenumero fit, non item in teſtamentorum exemplaribus. Unum exemplar fit, vel duo vel plura, eodem tempore & eadem manu ut plurimum ſcripta, atq; eodem exemplo. Datur, quibus neceſſe eſt, & horum aliquod exemplum, quod ſemel fit, non pluries. Non enim exemplum exempli conficitur. Antiqui Romani frequentiſſime, ut dixi, ſolebant *duo exemplaria*, id eſt ἀρχέτυπα ſive authentica teſtamenti conſcribere, ut notat Lex XLVII. D. de Legatis II. *Binæ tabulæ teſtamenti eodem tempore exemplarii cauſa ſcriptæ, ut vulgo fieri ſolet, ejuſdem Patrisfamilias proferuntur.* Ita Auguſtus in *duobus codicibus teſtamentum* feciſſe dicitur apud Suetonium, & Tiberius apud eundem *duplex teſtamentum eodem exemplo.* Apud Vlpianum leg. 1. D. de bonorum poſſeſſione ſecund. Tabul. aliquis fecit teſtamentum *in duobus Exemplaribus*, item alius *in duobus codicibus.* Binæ tabulæ exemplarii

cauſa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

cauſa ſcriptæ, ſunt duo exemplaria, ut infra dicemus. Si erant eodem exemplo ſcriptæ, ut erant fere ſemper, has tabulas etiam inter ſe ἰσοτύπȣς, vel ἰσοτύπως ſcriptas fuiſſe oportet. Non tamen per ſe erunt ἰσότυπα. Alioquin & *Exemplũ* idem quoq; eſſet cum exemplari, & ἀντίγραφον cum αὐτογράφῳ, cum duo teſtamenta dicuntur, vel duo codices uno exemplo conſcripti. Quod ſi unum ſit Exemplar teſtamenti, & unæ tabulæ authenticæ, vel unus Codex archetypus, ut ſæpe etiam fiebat, an illud *exemplar* dicebatur ἰσότυπον? Cui ἰσότυπον? An Exemplis quæ inde deſcribentur? Ridicule. Hoc enim eſſet aratrum ante boves ponere, ut vulgo ajunt. A quo ſimilitudo petitur alterius operis per imitationem expreſſi, ex eo ipſo illam mutuaretur quod inde effictũ eſt & ſimulatum. In multis rebus unicum datur Exemplar, id eſt πρωτότυπον, ut ſæpe & in ipſis teſtamentis fieri ſolitum. Hoc ſi diceretur ἰσότυπον, non poſſet ſimile dici niſi Exemplo inde deſcripto & efficto. Atqui *Exemplar* teſtamenti indoctus Leguleius ne quidem vult eſſe ἰσότυπον, quod ipſi eſt authenticum & originale, ſed vult pro exemplo ſive αὐτογράφῳ ſumi, ut ſupra vidimus. Ergo in illa lege XLVII. *Tabulæ exemplarii cauſa ſcriptæ*, erunt accipiendæ de his quæ deſcribuntur ut *Exempli* loco ſint.

Quæ interpretatio non poteſt ferri, ut paulo poſt dicemus, cum de authenticis tabulis legem debere exponi, ipſa declaret. Sed Exemplaria porro teſtamenti non neceſſe eſſe invicem per omnia *ἰσότυπα* confici, eadem lex oſtendit. Nam earum binarum Tabularum, in alteris legati erant aurei centum Titio, in alteris quinquaginta. Si credatur inepto cenſori, non erant Exemplaria illæ tabulæ, nec etiam, quod lex tamen affirmat, *Exemplarii* cauſa ſcriptæ; quia non fuere in omnibus *ἰσοτύπως* confectę, ac proinde nec *ἰσότυποι*. Exemplaria autem authentica binas illas tabulas fuiſſe vel illud fidem facit, quod quæritur in ea lege à Juriſconſulto, utrum ex iis centum aureos, an quinquaginta, habiturus eſſet is, cui centum erant in alteris legati aurei, in alteris quinquaginta. Exempla tabularum nihil ad hoc valuiſſent. Ergo *Exemplaria* erant, id eſt authenticæ & primitivæ tabulæ, non deſcriptæ ut eſſent Exempli loco, ſed *Exemplaris cauſa* ſcriptæ, hoc eſt, ut eſſent Exemplaria.

CAP.

CAP. VII.

Stultitia, vanitas & ἀλογία, item improba curioſitas Heraldi notata. Legem de qua quæſtio eſt à nemine hactenus fuiſſe intellectam, ſed recte à Salmaſio explicatam. Nullum in ea ſcrupulum eſſe videri, ſi exponatur, ut voluit Heraldus. Perperam eundem nihil diſcriminis ſtatuere inter ſimul ſcriptum teſtamentum, & ſimul ſignatum.

SAt dictum de Codicibus teſtamenti quod iidem ſint cum Exemplaribus, in lege de qua nunc agimus. Sat retuſa imperitia improbi rabulæ, *Exemplar* & *Exemplum* confundentis, ἰσότυπον cum ἀρχετύπῳ vel πρωτοτύπῳ, & mera miracula vel prodigia tam in Jure quam in litteratura edentis. Nunc de maxima difficultate ejuſdem legis tractandum, quæ non tam in duobus Codicibus ſita eſt, quam in eo quod *ſimul ſignati* proponuntur. Eam legem nemo Juriſconſultorum intellexit antequam eam Salmaſius explicaſſet. Hoc uſſit hominem ſtolide vanum, qui non potuit ferre ſe doceri ab eo quem pro Juriſconſulto non haberet, quod ipſe ſuo judicio Juriſconſultiſſimus ignoraverit cum aliis omnibus qui antea fuere, quique nunc ſunt. Hic *vitiligatorem imperitum* appellat Salmaſium. Quid iniquius? Juſtitia unicuique ſuum tribuit, at iſte Themidis antiſtes ſuum quod eſt, aliis injuſte

dat;

dat. Etiam curioſus eſt rerum quæ ad ſe nihil attinent. Quid enim ad te pertinere cenſes, ô ſtulte cauſidice, quod Salmaſius in Hollandiam vocatus ſit? An adeo bardos credis eſſe Batavos ut *non contemnendo*, ut ais, *Salario ex Gallia evocarint hominem* qui nihil ſciret niſi nugas agere? Atqui vel propter has ipſas nugas potuit ille, ſi voluiſſet, in Galliam ex Hollandia revocatus redire, altero tanto majore ſtipendio. Ergo etiam Batavis bardiores ſunt tibi tui Galli. Audi nunc me veris veriora dicentem, ſi tricis & apinis pretium & honos apud Gallos eſſet, jamdudum te montes auri obruiſſent, & maria argenti inundaſſent, æneuſque ſtares in omnibus urbis Lutetiæ quadriviis. Dicis ad eximendum ſcrupulum hujus legis non eſſe neceſſario recurrendum ad eos qui litteras inſtaurarunt, aut qui eos proxime ſecuti ſunt, quos ætas noſtra non vidit, *ſed ad eos qui adhuc vivunt, aut in hominum memoria verſantur*. Recognoſe, homo inepte, hæc tua eſſe verba, & fatere te neſciſſe quid diceres, cum illa ſcriberes. Diſtinguis eos homines qui litteras inſtaurarunt, quique proxime eos ſequuti ſunt, ab illis eruditis qui adhuc vivunt, aut in hominum memoria verſantur. Ad hos recurrendum eſſe ais ut eximatur ſcrupulus legis prædictæ, non ad illos. An, ô fatue, qui in hominum memoria ver-

ſantur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſantur, alterius eſſe conditionis ac ſortis tibi videntur, ab illis qui litteras inſtaurarunt & qui poſt eos proxime vixerunt? Nonne & hi in memoria hominum verſantur? Quid igitur hoc nomine eos ſeparaſti? Vt miſeret me tui! Totus in fermento eras cum illa chartis ingereres, & præ furore excæcatum calamus te ferebat, non tu illum ducebas. Sed agedum, dic nobis quinam illi ſunt adhuc viventes, aut in hominum memoria verſantes qui legem iſtam omni ſcrupulo liberarunt? Oſtende illos, ſi potes, vel digito. An tu eris? Certe adhuc vivis, & apparet te de te ipſo loqui, cum *vere eruditos* appellas, & *litteris ſapienter uſos*. Quanta ſane tua hîc ſit ſapientia & moderatio in litteris tractandis, vel unica hæc prima tua animadverſio, quam pro ſpecimine ac guſtu ad nos miſiſti, abunde fatetur. Tu tibi igitur perſuades, & nobis idem perſuaſum eſſe vis, præclare à te expoſitam eſſe eam legem, & ab omni difficultate quam præferebat vindicatam? Sed, ô ſtultiſſime & veſaniſſime mortalium, ſi vera eſt tua illa interpretatio, quam in Obſervationum libro poſuiſti cap. 1. non multum ea lex habuit ſcrupuli, nec ullum vindice dignum nodum. Dixiſti ſimpliciter *duos illos Codices* non fuiſſe duo exemplaria, ſed fuiſſe *quaſi duo teſtamenta*. Hoc quam ridiculum ſit, jam tibi probatum eſt,

ut

ut *duo Codices* non ſint duo exemplaria. *Videbantur*,inquis,*duo teſtamenta*. Cur iſtud? Quippe, ut ais, quibus alii atq; alii hæredes ſcripti erant. Non videris ergo legiſſe etiam duo & plura teſtamenta dicta de pluribus tabulis vel codicibus qui eodem exemplo ſcripti erant? Hoc etiam ſupra tibi monſtratum eſt, *Duo teſtamenta, duo Codices & duo exemplaria* æque dici de his quæ *ἰσοτύπως & eodem exemplo* ſcripta eſſent, quam quæ diverſo. Nihil igitur erat cauſæ cur hîc *teſtamenta* ab *exemplaribus* diſtingueres. Sed cavillatione nihil opus, video quid volueris. Duo vis diverſa fuiſſe teſtamenta, id eſt duos illos codices, quia in his alii atque alii hæredes erant ſcripti. *Si plures*, inquis, tabulæ *diverſis exemplis ſcriptæ ſint, ſupremæ valent, cæteræ nullius momenti.* Patere hîc à me te moneri, ô ſapienter litteris uſe & verè erudite, non eſſe Latinum quod ſic ſcribis: debuiſti quippe dicere, *tabulas diverſo exemplo.* Nemo enim auctor dixit, *plures tabulas iiſdem exemplis ſcriptas*, ſed *eodem exemplo.* Non enim ſuum ac proprium unicuique tabulæ eſt exemplum,ſed omnium ſimul idem. Cum dico margaritas *pari filo eſſe*, rectum eſt,quia per omnia ſimiles ſunt, At ſi dicerem *eſſe paribus filis*, hoc eſſet Heraldinum, id eſt aſininum. Sed hæc parvi momenti. Ad majora tranſeamus. Duo illi codices fuere duo di-

verſa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

verſa teſtamenta, poſterius valet, priùs nullum eſt. *Atqui hi duo*, inquis, *codices ſimul fuerunt ſignati, Ergo neutrum erit prius, neutrum poſterius.* Si hoc tibi verum eſſe concedimus, nihil adhuc video difficultatis, quod in hac lege oſtendatur. Ubi igitur hærebit ille ſcrupulus? An in concluſione ipſa quam ex præmiſſis elicis? Videris hoc velle. *Quid igitur*, inquis, *heic fiet?* Deliberato ſane opus eſt ut hîc pronuntiemus. *An neutrum*, inquis, valebit, cum ſimul utrumque ſignatum ſit? Magna profectò dubitandi cauſa. Et quis heic poſſet hæſitare? Cur enim non valeret utrumque, cum utrumque ſimul ſignatum eſſet? An eo ipſo poſſet quis dicere neutrum valere? His poſitis, tandem pronuntias, quaſi ineluctabili ſuperata & diſſoluta ἀπορίᾳ: *Imo utrumque valebit, ex utróque competet bonorum poſſeßio; quaſi utrumque unum ſit teſtamentum & utrumque ſupremum.* Euge profundæ ſagacitatis Juriſconſulte! Præ tuo acumine in legum nodis ſolvendis, fungi fuere omnes quos ſuperior ætas tulit, & qui in hominum memoria verſantur. Ideo ad te recurrendum neceſſario fuit, ut nobis tantum eximeres ſcrupulum. Sed vis dicam tibi quid feceris. Nodum in ſcirpo quæſiſti, hac tua tam bella, tam acuta & ingenioſa interpretatione. Quod erat difficultatis, inoffenſo pede ac ſicco præteriſti & tranſi-

ſti quaſi planum, quod erat ſcrupoſum, adeo tibi in mente nihil ſenſus fuit nec intelligentiæ. Quod enim ex codicibus duobus ſimul ſignatis, concluſum habere vis, *Ergo neutrum erit prius, neutrum poſterius*, ex eo ſignandi modo quem intelligis, fruſtra id poſcis quod non poteſt tibi concedi. Nam ridiculum eſt in illa ſignandi ratione quam tu cum aliis imaginaris, ut dici queat aut comprehendi, duos illos codices ita ſimul fuiſſe ſignatos ut neuter prius, neuter poſterius ſignatus videatur. Quod adeo tamen tibi placuit, ut nō dubitaris eam egregiam interpretationem recoctam in hac Animadverſione reponere, quamvis eam jam pro putida & inepta deflaſſet Salmaſius. Sic enim ſcribis Sect. V. *Si autem ſint diverſi codices ſimul ſignati, ſed in quibus diverſi ſcripti ſint hæredes, tunc duo exemplaria dici nequeunt, quia inter eos magna diverſitas, quippe cum unum Titium hæredem ſcriptum habeat, alterum Mævium. Verum quia ſunt ſimul ſignati, ita ut dici nequeat quis prius, quis poſterius, ſcriptus aut ſignatus fuerit, uterque valet, ſed pro uno teſtamento tantum, quo plures ſcripti ſunt hæredes, non pro duobus, cum nemo paganus duobus teſtamentis decedat.* Hæc ad verbum retuli ut quædam in his notarem in pejus mutata à priore obſervatione, quædam etiam cum iiſdem vitiis relata. Duo illi codices non videntur tibi

tibi poſſe dici, *duo eſſe exemplaria*, *quia inter eos magna eſt diverſitas*? Inſcitia in his tua jam ante defricata eſt. Sed eam hîc ſtrigili premam, alia ratione. Si omnis codex teſtamenti quocunque modo factus, *Exemplar* eſt, id eſt, πρωτότυπον & authentica ſcriptura, ex qua & exempla vel ἀντίγραφα ſumi poſſunt, quis dubitat quin prolatæ alicujus teſtatoris duæ tabulæ, licet diverſæ, non eodem exemplo nec eodem tempore ſcriptæ & ſignatæ, *Exemplaria* quoque dici debeant, ac *Codices* & *Tabulæ*? Unuſquiſque enim Codex *Exemplar* eſt, id eſt πρωτότυπον. In illis tuis præterea verbis ſupra deſcriptis non *ſignatos* tantum ſimul duos Codices dicis, ſed etiam *ſcriptos*, cum lex ipſa *ſimul ſignatorum* tantum meminerit. An putas hoc nihil intereſſe, *ſcriptum teſtamentum* & *ſignatum* eodem tempore fuiſſe? Sic ſane loqueris: *verum quia ſunt ſimul ſignati, ita ut dici nequeat, quis prius, quis poſterius ſcriptus aut ſignatus fuerit, uterque valet.* Atqui nihil de ſimul ſcriptis Lex, ſed de ſimul ſignatis tantum. Quæ tibi mens fuit cum illa de tuo adderes; an non præter mentem legis? Quis te eripiet, quin putaveris ſcribi uno tempore & ſignari teſtamenta olim debuiſſe ut valida eſſent? Si ita credidiſti qui tantum te facis in Juris ſcientia, ignarum te prodis eorum quæ habentur Leg. XXI. Cod. de Teſtamentis.

In ea diſerte dicitur, in teſtamentis, quæ præſentibus vel abſentibus teſtibus fiunt non exigendũ à Teſtatore, ut uno eodemq; tempore teſtes adhibeat, dictet & finiat teſtamentum. *Sed licet*, inquit, *alio tempore dictatum ſcriptumve proferatur, ſufficit uno tempore eodemque die, nullo actu extraneo interveniente, teſtes omnes videlicet ſimul nec diverſis temporibus ſubſcribere ſignareque teſtamentum.* Vide Aſine, ſi quid videre potes, non eſſe neceſſarium ut uno eodemque tempore ſcribatur à teſtatore, ſubſcribatur à teſtibus & ſignetur teſtamentum, ſed licet alio tempore ſcriptum poſt tempus offeratur teſtibus ad ſubſcribendum & ſignandum, ratum eſſe. Inter ſcribendum igitur poteſt teſtator aliud agere, immo vel contrahere vel interrumpere ſcriptionem quolibet alio actu extraneo. Quod enim Doctores quidam exiſtimarunt in teſtamento faciendo contrahi poſſe, id verum eſt ſi de ſola ſcriptione intelligatur, falſum ſi de actu ſubſcriptionis & ſignationis accipiatur. De hac enim ſola prohibet Lex eam ullo actu alio interveniente turbari & interrumpi. Id tamen Lex XXVIII. Cod. ſic interpretatur, ut agenda quæ neceſſitates corporis ſpectant, non vitient teſtamenti factionem ſi interveniant, ut victus neceſſarii vel potionis oblatio, medicaminis datio vel impoſitio, & ſi quæ alia

alia neceſſarius vitæ uſus poſtulat, ut ventris exoneratio, & ſimilia. De ſolo etiam actu quo ſubſcribitur & ſignatur teſtamentum, capienda ſunt illa ex Inſtitutis Tit. eodem, ubi dicit Imperator, pariter conſtitutum eſſe poſtquam Jus civile & prætorium in unam conſonantiam cœpit jungi, *Vt uno eodemq; tempore ſeptem teſtibus adhibitis, ſubſcribatur teſtamentum & ſignacula eidem apponantur*. Hoc ex EdictoPrętoris, illud de ſubſcriptione teſtium à Conſtitutionibus inventum fuit. Vt uno autem eodemque tempore teſtes adhiberentur ex Jure civili proditum. Inde hæc tria ſimul ut uno eodemq; fierent tempore ſine ulla interruptione, ſed uno contextu ſtatuit Lex XXI. Cod. de Teſtamentis. Et ſane cum præcipuus ſit actus teſtamẽti faciendi, præſentia teſtium, ſubſcriptio, ac ſignatio, merito ſancitum eſt ut nullo alterius rei interventu, uno & continenti tempore perageretur. Nam eadem Lex decernit, *non ſubſcriptum à teſtibus* & *non ſignatum teſtamentum* pro infecto habendum. Parum igitur refert ſcriptum eſſe à teſtatore, niſi ſubſcriptum ſit & ſignatum à teſtibus. Hæc vel teruncíis nota ſunt, non tibi, qui exigis ſcribi eodem tempore & ſignari teſtamentum. *Verum*, inquis, *quia ſunt ſimul ſignati, ut dici nequeat, quis prius quis poſterius ſcriptus aut ſignatus fuerit, uterque valet.* Ecce ſtultivide,

nihil ponis differentiæ inter ſcriptum & ſignatum. *Quis prius aut poſterius ſcriptus ſit aut ſignatus.* Quaſi nimirum interſit æque ut eodem tempore ſcriptus ſit ac ſignatus. Ratio te fugit, aut tu illam. Quid ſi igitur duo illi codices quos ſimul ſignatos Lex dicit, non eodem tempore ſcripti fuere quo ſignati, an hoc ad rem pertinere cenſebis? Quid ſi etiam ex duobus codicibus, ille in quo Titius, aut ille in quo Mævius hæres ſcriptus eſt, alio atque alio tempore à teſtatore conſcripti, ſed eodem tempore ſunt ſignati, an aliud quid juris erit? An dices utrumque valere? Non puto, quia tua ſententia eſt ſcribi eos ac ſignari ſimul oportuiſſe.

CAP. VIII.

Stropha & calumnia Heraldi animadverſa, & explicationes Salmaſii defenſa. Pro duobus codicibus, quorum in lege de qua agitur, mentio eſt, improbe Heraldum ſupponere plura teſtamenta. Deliria ejuſdem notata. Sententiam ſuam de illa lege nec mutaſſe nec interpolaſſe Salmaſium.

EGo hîc te relinquam, ut ſpatium reſpondendi habeas. Interim priuſquam ad legis expoſitionem veniamus quam Salmaſius edidit, quæque à veteri ſignandi more dependet, quem tu ignoraſti, & à notione particulæ adverbialis *ſimul* à te non intellecta, hoc loco ventilabimus inſignes tuas

ſtrophas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſtrophas & ſycophantias quas ſect. III. & IV. primæ tuæ Animadverſionis improba mente & falſifica manu congeſſiſti. Si notus antea non fuiſti populo eruditorum, nunc faxo te habeant pro impudentiſſimo quidem calumniatore, ſed & ſtolidiſſimo. Nam alii, ut tectæ ſint, fraudes ſuas aliquo fuco involvunt, tu ſine pudore, nullo velatas colore eas prodis. Dicis ſub finem ſecundæ ſectionis, me ut difficultati legis hujus obviam irem poſuiſſe primum, *Exemplar teſtamenti & teſtamentum rem eandem eſſe.* An non hoc verum? Tu qui pro falſo habes quantum ipſe falſus? Si *Exemplar* teſtamenti πρωτότυπον eſt, ut ſupra tibi demonſtratum, an non idem cum teſtamento? Ubi legiſti in Jure *Exemplar* teſtamenti idem eſſe cum exemplo? Si *Exemplar* teſtamenti eſt αὐτίγραφον, ut tu dicis Sect. v. idem omnino erit Exemplar cum exemplo. *Binæ tabulæ ſcriptæ exemplarii cauſa* in Leg. XLVII. D. de Legatis §. II. pro exemplis erunt habendæ quæ nihil fidem faciunt; cum tamen ea Lex binas illas tabulas fuiſſe authenticas clare ſignificet. Ais deinde Salmaſium ex eo inferre; *duos Codices teſtamenti duo eſſe exemplaria.* Nonne hoc etiam indubitatum? Si *Exemplar teſtamenti* αὐτόγραφον eſt & teſtamentum, ut ſupra oſtenſum eſt, an prohibebis ne duo Codices ſint duo exemplaria? Poſtremo *duos*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

illos codices ſimul fuiſſe ligatos & obſignatos, atque quod ita juncti eſſent, pro uno teſtamento à Iuriſcõſulto habitos. Hæc etiam vera eſſe, & nullam poſſe veriorem hujus legis interpretationem à quoquam adferri, paulo poſt ſi tibi non approbabimus, aliis qui te doctiores ſunt & æquiores, facile probatum iri confidimus. Hactenus quidem ſatis bona fide uſus eſt in referenda Salmaſii ſententia. Sed ſtatim neſcio qua dementia tentatus, vel improbitatis æſtu, quæ ad tempus ſe ſubduxerat, ex tranſverſo redeuntis, abreptus, ſtruices calumniarum & ſycophantiarum coacervare incipis. *Si igitur*, inquis, *plura reperiantur teſtamenta, & is qui prior hæres inſtitutus eſt, ea junxerit & colligarit, utrum habebuntur teſtamentum, & ſic non oculos Iuriſconſultorum tantum, ſed & mentem fallerent. Quo facto, quotquot erant teſtamentis illis hæredes inſtituti, hæredes erunt, nec attendetur amplius teſtamentorum prioritas aut poſterioritas. Quare? Quia omnia ſimul ſunt ligata & juncta.* Cum hæc ſcriberes tuæ ſpontis non eras, & neſcio quæ te intemperiæ agitabant, aut, ut modeſtius de te ſentiam, fortaſſe vinum heſternum deſtertebas. Non ſane hæc ſunt ſani hominis, & ſapienter litteris utentis, ut de te infra videris affirmare. Poſtquam hæc impuro tuo & improbo ore effutiiſti, ſubjungis *hoc merum eſſe delirium.* Tuum eſt, ô bone, &

ita

ita eſſe jam tibi oſtendam, & ſi delirium non eſt, mera eſt improbitas. Primum cum de duobus quæſtio ſit, quorum Lex meminit, tu *plura teſtamenta* improbe & imperitè reponis, & omnia ſimul ligata & juncta facis, cum duos tantum Codices ſimul ſignatos memoret. Niſi fortaſſe tam ſtupidus fueris ut duos de pluribus acciperes ut poſtea conſtabit te ſenſiſſe. Deinde ut delirium affingeres Salmaſio, ipſe delirabas cum ita ſcriberes; *Si plura reperiantur teſtamenta, & is qui priori hæres inſtitutus eſt ea junxerit.* An ut illum inſanum probares, ipſe inſanire voluiſti? Quis dixit eum qui ex pluribus teſtamentis priori inſtitutus eſſet, ea junxiſſe & colligaſſe? Tu hoc dicis, non ille. Tuum hoc eſt deliramentum. Tu vigilans ſomniaſti quale nec phrenetici in ſomnis vident. Ais deinde, teſtamenta plura ſic colligata junctaque & pro uno habita, *non oculos tantum Iuriſconſultorum fallere, ſed etiam mentem.* Quid hîc etiam vis? An plura teſtamenta ſimul juncta poſſunt oculos fallere Juriſconſultorum? Ne quidem Idiotarum fallerent. Nam ſi unæ tabulæ teſtamenti aciem oculorum effugere non poſſunt, multo minus plures junctæ. De mente etiam, neſcio qua mente dixeris eam falli in Juriſconſultis qui teſtamenta ſic conjuncta viderint. Quæ ſequuntur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

non meliora ſunt nec ſaniora; *Quo facto quotquot erunt teſtamentis illis hæredes inſtituti; hæredes erunt, nec attendetur teſtamentorum prioritas aut poſterioritas.* Non de Salmaſii magis interpretatione, quam de tua hæc dicere liceat. Adeo enim fatuus es, & bonæ mentis exul, ut neſcias quid dicas, nec quomodo dicas. Tu ex duobus codicibus ſimul ſignatis, quos Lex memorat, non poſſe colligi ais quis prior, quis poſterior ſignatus ſit, ideo pro uno teſtamento utrumque haberi, & omnes qui duobus illis teſtamentis inſtituti fuerint, hæredes futuros pronuntias. Nec igitur cum iſta tua expoſitione attenditur teſtamentorum prioritas aut poſterioritas, ut tu loqueris. Si quid in his abſurdi, ut videris velle, commune id tibi cum Salmaſio, non hujus proprium. Mox ais eam abſurditatem à te detectam eſſe in obſervationibus, & *Salmaſium in miſcellis defenſionibus id interpolare eſſe conatum.* Quomodo interpolare? An priorem ſententiam immutavit ut novam inſinuaret? *Ita*, inquis, *interpolavit ut eodem recidat.* Non ergo illi vis licuiſſe, ut idem aliis verbis diceret, cum in duobus diverſis ſcriptis eadem de re loqueretur? Et hoc vocas *interpolare*, eandem ſententiam aliter atque aliter ſic expoſuiſſe ut ab ea tamen non receſſeris? Magnum hoc crimen Gai Cæſar! Si majus non

habes

habes quod objectes, fruſtra es. *Verum*, infers, *& cum pluſquam abſurda ſint, & neſcio quomodo involuta verba ipſa magni Critici qui ſummorum quotquot terra tegit Iuriſconſultorum exherenda ſunt?* Bene dicis: neſcio quomodo involuta eſſe Salmaſii verba. Nullo quippe modo intricata ſunt, cum nihil illis ſit explicatius. Ecce etiam alterum crimen, & valde magnum. Juriſconſultorum quos terra tegit, id eſt qui mortui ſunt, *oculos confixit*. Hoc certe minus quam vel cornicum viventium oculos configere. Quid ſi jugulaſſe eum diceres omnes Juriſconſultos mortuos, an homicidii reus propterea haberetur, & ſubſcriptionem cædis in eum ederes? Exhibebimus hic etiam ipſa verba Salmaſii, ut videamus an ita ut vis, modo neſcio quo ſint involuta. *Duo teſtamenta diverſa diverſos hæredes ſcriptos oſtendentia, & in duobus exemplaribus conſcripta pro unis tabulis haberi dixit Vlpianus, quia ſimul ſignata ſunt. Quomodo ſimul ſignata? Eo prorſus modo quem Salmaſius explicavit, nec enim alio potuit. Lino circumligati & ſimul comprehenſi duo codices utriuſque teſtamenti impoſitis & impreßis ſuper linum teſtium ſignis. Hac re effectum eſt, ut duo teſtamenta pro uno cenſerentur. Duo codices ſunt duo exemplaria pro uno.* Quid in his verbis involuti & obſcuri, dic inepte vitilitigator? Teſtamenta certe ipſa involuta ſunt & lino circum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

circumdata, non dictio Salmaſii. Non enim potuit apertius quod volebat, nec diſertius explicare.

CAP. IX.

Calumnia & συκοφαντία Heraldi detecta. Non dixiſſe Salmaſium teſtamenta ſignare, eſſe duo teſtamenta uno lino ligata ſignare. Duos codices ſimul ſignatos eſſe duos codices uno lino conſtrictos & iiſdem ſignis obſignatos. Non aliter duas tabulas ſimul ſignari ſolere & poſſe quam unas. Mendacia & ſtrophæ Heraldi & ſtolidæ ejus quæſtiones refutatæ.

IN illis porro verbis ſupra citatis cum nec calumnia ipſa locum calumniandi poſſet invenire, calumniator non invenit ſed fecit. Sic enim cum ea attuliſſet pro clauſula tertiæ ſectionis, ita quartam auſpicatus eſt atque inde concluſit. *Ergo teſtamenta ſignare & obſignare quod quid eſſet, omnes Iuriſconſulti hactenus ignorarunt, erat nuper duo teſtamenta ſimul ligare aut junctim colligare aut obſerare, nunc explicatius lino circumligare & ſimul comprehendere impoſitis & compreßis ſuper linum teſtium ſignis.* Paulo ante hoc ipſum vocaverat *interpolare*, nunc idem illi eſt *explicatius dicere*. His poſitis, ſubjicit exclamando, ut ſolet cum ad ravim uſque Rabulariam exercet, aut cum è cathedra diſcipulos olim increpabat; *Dic mihi Salmaſi, putaſne fuiſſe te ſa-*

num

num cum tanta deliramenta ſcriberes, quæ ſine rubore proferri non poſſunt? Ego vero miror, ô Sycophanta, te ſine rubore hæc ſcribere potuiſſe. Certe ſanus non fuiſſet Salmaſius ſi, quod illum dicere ais, dixiſſet. *Si teſtamenta*, inquam, *ſignare* idem eſſe ſcripſiſſet, ac *duo teſtamenta ſimul ligare.* Aliud eſt, ô ſtultomale, *teſtamentum ſignare*, aliud *duo tementa ſimul ſignare.* Qui duo teſtamenta ſimul ſignat, ſimul etiam ea uno lino circumligat, & in unum juncta & comprehenſa eadem cera ſignat. Sed quaſi parum eſſet ſemel imposturam feciſſe, iterum eandem calumniam refricas Num. VII. his verbis, quibus concludere Salmaſium ais, *Codices ſignare hoc loco dici, Codices ſimul ligare & impoſitis ſignis obſignare.* Non dixit Salmaſius, ô Sycophantarum flos delibate, *codices ſignare* eſſe codices ſimul ligare & ſignare, ſed *codices ſignare* eſſe codices lino ligare & cera ſignare; ex quo & concluſit, *Codices duos ſimul ſignare*, idem eſſe quod codices duos ſimul uno filo ligare & iiſdem ſignis obſignare. Non pudet te imposturæ & συκοφαντίας! Ex illis deinde ſicut à te ſycophantice propoſita ſunt, non ut à Salmaſio ſcripta, te ipſum vel Salmaſium interrogas & quæris: *Si teſtamenta ſignare eſt ſimul ligare, quid erit teſtamentum ſignare, ſi unum eſt ſolum?* Pone quæſtionem ex mente & verbis Salmaſii, tum

pro

pro illo tibi reſpondebo. Dic, inquam impure nebulo; *Si duo teſtamenta ſimul ſignare, id eſt ſimul ea lino ligare & cera ſignare, quid erit teſtamentum ſignare ſi unum eſt & ſolum?* Paratum ecce tibi reſponſum, ſi ſignare teſtamentum cum unum eſt, illud eſt lino circumligare & ſignis ceræ impreſſis claudere; *duo ſimul ſignare* erit ſimul ea lino colligare ac ſignis ſupra linum impoſitis obſignare. An aliter duę epiſtolæ uno involucro teguntur quam una? Nec aliter ergo duæ teſtamenti tabulæ ſimul uno lino comprehenſæ conſtringuntur quam unæ. Apparet ex his quæ hîc crepas, te vere neſciſſe quid eſſet ſignare teſtamentum, & quomodo apud antiquos Romanos tabulæ qua privatæ qua publicæ obſignari ſolitæ ſint. Non enim ſi ſciſſes, tu hæc portenta calumniarum cum ineptiis vix credendis conjunctarum commentus fuiſſes. Addis, ut clarius patefacias te mente exſenſa & bruta fuiſſe, cum ad hæc ſcribenda acceſſiſti, *Duo autem teſtamenta ita conligata & ſimul juncta an ideo numero diſtinguuntur, quia re ipſa diverſa ſunt, an opinione hominum tantum quorum oculos junctio iſta fefellit?* Oedipus aliquis quærendus qui iſta explicet, nam ego ſum Davus. Domum ſuam verti putabat hîc homo, & duplicia omnia in ea ſibi oſtendi, cum hæc deblaterabat. Quis enim poteſt dicere quid hæc ſibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſibi velint? Duas teſtamenti tabulas vel duos codices ſimul ſignatos, hoc eſt eodem lino & iiſdem ſignis comprehenſos poſuit Salmaſius. Quærit hic fungus putridus an numero diſtinguantur hæ duæ teſtamenti tabulæ, quia re vera diverſæ ſunt, an opinione hominum quorum oculos iſta junctio fefellit? Idem eſt quod paulo ante III. Sectione poſuerat, Duo teſtamenta ſic juncta, *non ſolum oculos Iuriſconſultorum ſed & mentem fefelliſſe.* Quod quid ſit, nemo præter ipſum nobis poſſit aperire. Duo teſtamenta diverſa vel duos codices teſtamenti ipſe Ulpianus in illo caſu propoſuit, quia in illis alii atque alii hæredes ſcripti erant. Diverſa duo teſtamenta revera fuiſſent, & prius ruptum eſſet à poſteriore, niſi ſimul ſignati eſſent. Quod ſimul ſignati ſunt, ideo duas has tabulas pro unis habendas pronuntiavit Juriſconſultus. Salmaſius docuit quomodo *ſignati ſimul* fuiſſent illi duo codices, nempe quod uno lino circumligati & iiſdem teſtium ſignis lino impoſitis ſimul obſerati fuiſſent. Quo igitur pertinet id quod hîc quærit infamis rabula; an ideo numero diſtinguantur quia re diverſa ſint, an opinione hominum tantum quorum oculos hæc junctio fefellit? Primum quomodo videri voluit eam junctionem duarum tabularum oculos hominum fefelliſſe? Nemone tum

potuit

potuit videre duas eſſe tabulas junctas & ſimul ſignatas, non ſingulares? Duplices erant tabulæ quibus tum teſtamēta conſcribebantur, id eſt ex duplici tabella compoſitæ, quæ & δίπτυχα ideo Græcis appellata & *bipatentia pugillaria* Auſonio. Duæ tales duplices tabulæ ſimul junctæ & uno lino vinctæ ſpeciem oſtendebant quadruplicium tabularum, non duplicium. Nemo igitur hîc potuit falli. Sed pone oculos hic decipi potuiſſe viſentium. Quid hoc ad rem? Inciſo lino & reſignatis tabulis atque apertis, facile cognoſci potuit unum an duo diverſa fuerint teſtamenta, binæ tabulæ an unæ tantum. Numero diſtinctas fuiſſe tum patuit, etiam re ipſa diverſas ex ſcriptura quæ alios in uno, alios in altero codice hæredes habuit nominatos. Ex eo tamen quod ſimul ſignata illa eſſent duo teſtamenta ſive duo codices teſtamenti, Ulpianus ſtatuit, pro unis tabulis utraſque habendas & ſupremum utraſque accipiendas. Nunc videbit qui hæc leget, delirantis rabulæ ſomnia & ridicula commenta in nebulas aërias ferri, & nihil ex his in ejus cerebro remanere præter immanem & efferam mentiendi & calumniandi libidinem, quam & in his quæ jam ſubjiciam, expreſſam reliquit. *Sed non ſolum ita colligata & juncta ſunt, verum etiam teſtium ſigna lino quo colligata ſunt impreſſa, quod eſt*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

eſt novum myſterium priore libro nondum revelatum. Si mendaciis palma in medio eſſet poſita, ut qui flagrantiſſima & putidiſſima diceret, eam auferret, nemo contra te coronaretur, mendax & impoſtor facile omnium improbiſſimus. Hoc Heralde à me habeto & me verum dicere credito. Ut alii etiam hoc ſciant credantque, me hîc legant. Hoc eſt quod paulo ante etiam dixeras, Salmaſium priorem ſententiam interpolare poſtea conatum eſſe, cum nempe prius ſcripſiſſet in libro de Modo Uſurarum, *teſtamente ſignare* idem eſſe quod *duo teſtamenta ſimul ligare, aut junctim colligare & obſignare*; poſtea, hoc eſt, in libro Obſervationum ad Jus Atticum explicatius poſuiſſe, *lino circumligare & ſimul comprehendere, impoſitis & impreßis ſuper linum teſtium ſignis.* Hoc eſt ergo myſterium quod appellas novum, & quod hic mentiris in priore libro nondum fuiſſe revelatum. Nunc revelemus impoſturam tuam nondum ſatis detectam. In libro Salmaſii de Modo uſurarum cap. XI. p. CCCCXXXVI. lin. XVIII. hæc verba totidem apicibus leguntur ad hanc ipſam legem, de qua nunc agitur, explicandam: *Ergo pro unis tabulis, etiamſi utrumque eſſet teſtamentum, id habendum eſſe reſpondit, quia utrumque ſupremum, nec alterum altero magis ſupremum, quandoquidem ſimul involuta lino & ſignis impreßis obſe-*

rata fuere. Quæro nunc à pædagogo ſive Ludimagiſtro Sedanenſi, an aliud dixerit aut aliter ſententiam hanc expreſſerit in libro poſteriore Obſervationum ad Ius Atticum & Romanum? *Involvere lino duas ſimul teſtamenti tabulas, & ſignis impreßis obſerare*, an obſcurius dictum eſt, quam *lino circumligare & ſimul comprehendere duos codices teſtamenti impoſitis & impreßis ſuper linum teſtium ſignis*, quod in poſteriore libro poſuit Salmaſius? Verebaris ne non ſatis rabula & impoſtor eſſes, ſi & in re tam levi ingenii tui mendaciloqui oblitus fores. Nonne vel illud ipſum quod ex interpretatione Salmaſii prioris libri citaſti, ſatis tibi probavit, non aliud in illo quam in iſto ſcripſiſſe cum dixit, Duo teſtamenta ſimul ſignare, eſſe ſimul ligare & obſignare? An aliquid obſignatur non ſignis impreſſis & impoſitis lino? An vero ſine lino ullæ tabulæ umquam obſignatæ ſunt? Pergis porro & ſic lepide iterum interrogas, *Quid ſignabant igitur teſtes, cum ſignum ſuum ei lino imprimebant; duo teſtamenta an unum?* Magna certe quæſtio & admodum ardua! Duo codices vel duæ tabulæ uno lino ligatæ oblatæ ſunt à teſtatore ſignandæ teſtibus, & tu quærendum putas, quid ſignabant teſtes cum ei lino ſigna imprimebant; duo teſtamenta an unum? Quæro nunc à te viciſſim, an non licuerit teſtatori

tori duas tabulas ſupremæ ſuæ voluntatis diverſo tempore ſcriptas, & diverſorum hæredum nominibus, teſtibus vocatis quaſi duo exemplaria, ſubſcribendas offerre & eaſdem ſubſcriptas uno lino circumligatas, iiſdem teſtibus ſignandas præbere? An aliquo id jure prohibitum dices, prætorio, civili, an imperatorio? Legem aliquam potes proferre quæ hoc vetet? An debuerunt ſcire teſtes utrum duo teſtamenta ſic ſignarent an unum? Si non ideo infirmatur teſtamentum, quod teſtes neſciant quæ in eo ſcripta ſunt, ut diſertè ſancitum eſt leg. XXI. Cod. de Teſtamentis, an putas irritum eſſe & infirmum quod ſcriptum eſt in duobus Exemplaribus, ſi teſtes ignorent quid in illis ſit, diverſa ſint teſtamenta an eodem exemplo confecta? At ſimul duo uno lino juncta ſunt. Credis non licuiſſe? tuum eſt hoc oſtendere. Quæris etiam, *Quid volebant ea ſigilli impreſſione? an oculos hominum fruſtrari duo teſtamenta juncta pro uno accipientium?* Adeo ſtultæ ſunt tuæ quæſtiones & frivolæ nugatoriæque, ut illis reſpondere ſtultum ſit. Dico tibi nihil ultra debuiſſe quærere illos teſtes poſtquam duos teſtamenti codices ſubſcripſerunt. Cum ſimul vinctos ſignarent; non ad ipſos pertinuit interrogare teſtatorem quid vellet ſibi cum hac duarum Tabularum junctione, utrum duo teſta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

menta diverſa an unum hoc modo cogitaret condere; utrum hæc duo ſic ſimul colligata ac ſignata pro uno teſtamento vellet accipi. Ipſorum tantum officium fuit, quod offerebatur ſubſcribere & ſignare. Quid ipſe vis amplius? Sed nunquam finem facies ineptarum quæſtionum: Quærere pergis, *cum duo teſtamenta ita juncta & pene conglutinata, ſejungebantur & aperiebantur, jamne videbantur unum teſtamentum an duo*? De conglutinatis garris. Quæ juncta ſimul ſunt & uno lino colligata, non ſunt conglutinata. Non poſſum jam temperare quin huic quæſtioni tuæ reſpondeam. Magna eſt & magno atque acuto Juriſconſulto digna. Rupto lino quo duæ tabulæ conſtringebantur, apparebat duas eſſe tabulas non unas. Miraculum ſane ingens & res nova & inaudita. Quid tum poſtea? Quod ſupereſt dubium eſt utrum illæ duæ tabulæ pro unis ſint accipiendæ, id eſt pro uno an duobus diverſis teſtamentis quorum alterum ſit prius, alterum poſterius. Non ex adſpectu tamen id judicandum, ut quod duæ ſint numero diſtinctæ tabulæ, pro duabus etiam diverſis teſtamentis uno priore, altero poſteriore ſint habendæ. Stolida igitur ac ſtulta iſta tua interrogatio, ubi aperta fuerint iſta duo teſtamenta ſimul ſignata, an jam videbuntur unum an duo? Juriſconſulti erit non

cujuſ-

cujuſlibet de eo reſpondere. Nec ad te igitur hoc pertinebit, non enim es Juriſconſultus, cum tantus ſis in omnibus rebus aſinus, id eſt communis ſenſus expers. Ita igitur Juriſconſultus hoc dubium decideret. Si duo hæc teſtamenta, vel hi duo codices eodem exemplo ſcripti ſunt, & eoſdem hęredes habent ſcriptos, quamvis ſeparatim ſignati, pro uno tamen habentur teſtamento, & ſi unus ex his extet, extare tabulæ teſtamenti videntur. Sin vero duo teſtamenta offerantur, alios atque alios hæredes ſcriptos habentia, & diverſo tempore confecta, & utrumque ſeorſim ſignatum exhibeatur, pro duobus teſtamentis diverſis accipientur, & prius ſignatum infirmabitur à poſterius ſignato. Quamvis autem diverſa, nec eodem exemplo ſcripta nec eodem tempore, ſi tamen ſimul ſignata fuerint, id eſt uno lino circumligata, pro uno teſtamento utrumque accipietur. Hæc mens Juriſconſulti in illis duobus paragraphis, hæc ejuſdem mentis expoſitio Salmaſiana, quam pro ægri meris ſomniis traducit homo nihili, & mente æque inanis ut patris erant bombardæ priuſquam pulvere nitrato ac ſulphurato globoque æneo eſſent inſtructæ. Homo revera Triſmegiſtus, ſed quomodo? Maximus ſomniator, maximus impoſtor, & maximus nugator. De ultimo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

non difficilis nec longe petenda probatio. In proxime ſequenti ſectione cauſam reddit quæ Salmaſium in hos errores ac deliria præcipitem egerit. Id eum ait fefelliſſe, *quod exemplar teſtamenti & teſtamentum rem eandem exiſtimavit, & quia duos codices pro duobus exemplaribus acceperit.* Quod æque bonam rationis ἀκολουθίαν habet ac ſi dixiſſet, ideo Salmaſium tenebras offudiſſe ſuo lectori in hac lege de duobus ſimul ſignatis codicibus explicanda, quia Solem & lucis auctorem eandem rem putaverit. Tam bene cohæret hæc ejus ratiocinatio. Salmaſius *teſtamenta ſignare* perperam interpretatur lino circumligare & ſigna imprimere. Unde hunc errorem tam inſanum hauſit? quia *Exemplar teſtamenti* & *teſtamentum* idem credidit eſſe, & quia *codices teſtamenti* cum exemplaribus confudit. Jam faxo hîc agnoſcas & confitearis tuam ἀλογιστίαν, ô caprimulge. Quid ſi Salmaſius tecum diceret *Exemplar teſtamenti* idem eſſe cum αὐτογράφῳ ſive exemplo, & Exemplaria diverſa eſſe à codicibus, an recte ſic procederet ejus interpretatio de uno teſtamento ſignato, vel duobus ſimul ſignatis? Quid alterum habet affine aut commune cum altero? Imo Exemplar teſtamenti, ſi pro exemplo accipiatur & αὐτογράφῳ, nihil ad ſignaturam pertinet, quia Exemplum teſtamenti, non ſemper ſignabatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

batur, ſed ſolum Exemplar. Nunc ut videas quam longe abſis ab omni via veritatis; dico tibi veriſſimam eſſe Salmaſii de more ſignandi teſtamenta antiquo obſervationem: de Exemplari quod ſit teſtamenti autographum: de codicibus quod ſint iidem cum Exemplaribus. Quæ omnia jam ſupra abunde demonſtrata ſunt.

CAP. X.

Explicationem legis prædictæ de duobus Codicibus ſimul ſignatis pendere à more vetere ſignandi, & à notione voculæ ſimul. De more ſignandi antiquo prius dictum. Quomodo libri & codices antiquitus ſignarentur, explicatum. Heraldum ſecum ipſum pugnare in priſca ſignandi ratione exponenda. De Charta qua veteres uſi ſunt, qualis fuerit, & quomodo non complicaretur, ſed involveretur. Differentia voluminum & codicum explicata. Cum charta in qua aliquid ſcriptum eſt, antiquis nominatur, de chartæ volumine id intelligendum. Quid ſit linum & quid ea vox ſignificet, quo tabulæ omnis generis colligantur & volumina. Signa per ſe nihil potuiſſe ſine lino, quia lino erant impoſita. Iliacis temporibus arcas lino tantum ſive vinculo conſtrictas claudi ſolitas, abſque ſignis. Linteo involutas literas etiam olim ſignis ſupra linteum impreſſis obſignatas.

TEmpus jam eſt, priuſquam legis ſententiam plenius planiuſque aperire incipiamus, ut aſſeramus Salmaſii explicationem de duobus codicibus ſimul ſignatis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſimulque morem antiquum ſignandi adſtruamus, & notionem voculæ adverbialis *ſimul* confirmemus. Nam ab his duobus pendet hujus legis ſanus intellectus, ab obſervatione inquam ſignandi teſtamenta veteri recte notata, & à recta ſignificatione Adverbii *ſimul*, quod Juriſconſultus in prædicta lege ſupra citatis verbis poſuit. De primo prius. Nemo eſt antiquitatis Romanæ Græcæque paulo peritior, quin aliquid audierit de more ſignandi utrique genti olim uſitato. Signaſſe quippe omnia annulo quæ domi clauſa volebant vindicare à domeſticorum & ſervorum rapinis, capſas, arcas, armaria, penum, cellas, amphoras, lagenas & reliqua utenſilia quæ aliquid furto ac rapinæ obnoxium continerent, ſive res cibi eſſet ſive potus, ſive quæcunq; alia ſpecies. Annuli ad hoc facti *ſignatorii* & *ſigillatorii* & *ſigillaritii* dicebantur. Eorumdem annulorum uſus fuit ad ſignandas omnis generis tabulas privatorum publicorumq; contractuum, ſyngraphas, chirographa, teſtamenta, codicillos & epiſtolas ad familiares mittendas. Una tum fuit ratio ſignandi, qua annulus charactere aliquo notatus ceræ imprimebatur. Sed hic per ſe ſolus codices, tabulas vel libros & volumina non potuit claudere & quaſi obſerare. Nam ſi quis, exempli gratia, teſtamenti tabulas in exteriori earum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

rum parte ceris ſigno impreſſis totas vellet cooperire, aut operculum capſæ vel arcæ totum iiſdem tegere, nihil plus proficeret aut efficeret ne poſſent aperiri, quam ſi omnino nihil in his ſignatum eſſet. Prout ergo rei forma eſſet quam annulo obſerabant ceræ impreſſo, ita etiam aut filum vel linum, lineamve aut funiculum adhibebant iis prius ligandis, cui filo vel lino poſtea fruſtum ex cera imponebant annulo ſigillatorio ſignandum. De aliis rebus nunc non opus eſt dicere; de libris aut tabulis ſyngraphiſque quomodo ſignari ſolerent, id eſt annulo claudi, dicendum, nec ab eis quę jam obſervavit Salmaſius, recedam, quia aliud de his dici non poteſt præter illa quæ in libris de Modo Uſurarum jam docuit. Primum eum docuiſſe certum eſt, quid eſſet apud veteres *tabulas obſignare*: quo ſenſu diceretur, *obſignatis tabulis cum altero agere*; item quomodo teſtamenta *obſignarentur*. Non idem videtur Advocato nunc fori Pariſienſis, olim ludimagiſtro Scholæ Sedanenſis, ſed *furioſum* appellat Num. XI. quod dicere auſus fuerit, *ſignare teſtamentum* idem eſſe quod lino circumligare, & eidem lino ſigna imprimere. Qui tamen ſi poſſit oſtendere aliter quam hoc modo ſignari ſolita antiquis Romanis teſtamenta, tum recantatis opprobriis amicum mihi red-

dam, & pro tam docto habebo, quam nunc indoctum & inſcitum apertis pignoribus poſſum oſtendere. Non ſentit homo ne ſenſus quidem communis compos, hoc idē à ſe agnoſci Num. XVII. ubi dicit: *annulis tantum ſignata teſtamenta & cætera inſtrumenta clauſa eo quem indicat Paulus modo.* At Pauli locum Salmaſius citavit, ut ex eo doceret quo modo ſignare teſtamenta Romani olim ſoliti fuerint. Sed idem mox ſibi contrarius Num. XVIII. ex Durando Speculatore formam ſignandi teſtamenti quaſi veterem producit ac veram, quæ nihil omnino habet commune cum antiqua ſignatione tabularum Romana, ſive formam ſpectes & materiam tabularum, ſive ipſam ſignandi rationem. Plicari ille vult chartam, *ita ut ſpatium ſuperius conjungatur cum inferiori parte, & figi ibi tres chordulas, in plicatura vero dextri ſpatii duas & ſiniſtri alias duas, ſic ut qualibet chordula duo habeat foramina integram litteram non lædentia vel attingentia, quibus chordulis ſingula ſpatia conjuncta ligentur, ita quod interior littera videri vel legi non poßit.* Si deſcriptum à Paulo modum & à Senatu præſcriptum iſtis verbis ſe optime expreſſiſſe credidit ille Speculator, falſo uſus eſt ſpeculo; quod illi aliam à vera imaginem rei quam in illo voluit contemplari, exhibuit. Si hanc autem antiquam & Romanam Heraldus putavit

eſſe

eſſe teſtamentorum ſignandorum formam, quam luculenter ait & clare ab illo Durando explicatam, næ ille non plus in rebus iſtis ſapere hoc ipſo ſe oſtendit, quam ſus ſapit mortua ſine ſale condita. Tabulæ teſtamenti quas Lex Cornelia Teſtamentaria adhibitis teſtibus ita præcipit ſignari ut in ſummo margine ad mediam partem perforato triplici lino conſtringerentur, ut exteriores ceræ fidem interioribus ſervarent; ſic enim ibi legendum; de ligneis tabulis & ceratis intelligendæ ſunt, in quibus ſtilo ferreo exarabantur litteræ. In ejuſmodi tabulis non ſolum teſtationes ſive voluntates ultimas ſcribebant tunc temporis homines, ſed etiam ad Syngraphas conſcribendas & Chirographa iis utebantur. At homo ineptus cum ſuo Durando paſſim fiſtula exſibilandus, ad hujus morem temporis nos revocat, quo in charta complicanda teſtamenta conſignantur. Licuit quidem olim & in chartis & in membranis & quacunque alia materia, quæ ſcripturæ patiens eſſet, teſtamenta condere, ſed ne tunc quidem ita charta utebantur ut nunc facimus, nec ad eam formam eam plicabant, ſed volumina, hoc eſt, ἐξειλήματα vel εἰλητάρια ex ea faciebant, quæ à tergo non ſcribebantur, id eſt in exteriori ſive averſa parte, ſed tantum in interiori & adverſa,

niſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

niſi cum adverſaria ex illis vellent conficere, & σχέδια in charta opiſtographa ſcripta ad uſum privatum & commentationum quotidianarum exercitium, quæ poſtea emendata à librariis ſcribis transferrentur aut in codices, tabulas & πτεράδια, aut in volumina ſive εἰλήματα, adverſa tantum parte ſcribenda. Forma chartæ antiquæ ut alia fuit quam hodierna, ita ex materia diverſa. Ex papyri quippe Nilotici philyris contexta glutine invicem junctis, volutilis potius erat quam plicatilis. Vix enim ferebat in varios ſe complicari modos ut noſtra; præcipue ea quæ libris conſcribendis deſtinabatur, tenerior & ſubtilior cæteris generibus, quam *Regiam Chartam* vocabant. Catullus de Suffeno:

> *Puto eſſe ego illi millia aut decem aut plura*
> *Perſcripta, nec ſic ut fit Palimpſeſto*
> *Relata, chartæ regiæ, novi libri,*
> *Novi umbilici.*

Hero in αὐτοματοποιητικῶν libris, χάρτης λεπτότατος τῶν βασιλικῶν καλουμένων. Talis charta, nec puto etiam alia craſſior, non complicabatur, ſed convolvebatur. Duæ ergo figuræ librorum ex charta tum temporis uſitata fiebant; *Volumina*, hoc eſt ἐξειλήματα, & Tabulæ, id eſt πτεράδια vel paginæ, ut Salmaſius docuit in lib. de modo Uſurarum cap. x. ubi etiam explicavit &

emen-

ẹmendavit leg. 1. §. 1. D. de poſſeſſione bonorum ſecundum tabulas. *Tabulæ* igitur dicebantur omnes codices ex variis tabellis confecti, ligneis, membranaceis, chartaceis; vel etiam coriaceis, dummodo figuram haberent tabulæ quadratæ, id eſt, πετράδος vel πετραδίου, id eſt paginæ, ut Græci in gloſſis ſuis Nomicis expoſuerunt. At *volumina* ex ſola charta fiebant, vel etiam ex membrana, ſed ut plurimum ex charta. Cuidam generi nomen fuit opiſtographæ vel deleticiæ ſive Palimpſeſto, quæ excipiendis ſtudioſorum meditationibus inſerviebant, non libris conſcribendis. Dicit tamen Ulpianus titulo quo ſupra: *Et ſi quis in opiſtographo teſtatus ſit, hinc peti poſſe bonorum poſſeßionem.* Nam *chartæ* appellationem & ad novam & ad deleticiam chartam referri. Et hoc eſt, quod ajunt Græci nomici: Τάδ' ἐξαλήματα χάρτου, αὐτὸ τοῦτο καὶ χάρτης καλεῖται. Etiam *Chartæ* nomine cęnſentur, volumina ex charta opiſtographa nempe, & deleticia. At Tabularum nomen ſolis convenit codicibus ex multis πετραδίοις ſive ligni ſive chartæ ſive membranæ compoſitis, quo genere hodie compinguntur noſtra librorum exemplaria. Teſtamenta itaque veteribus aut in tabulis tantum ſcribebantur aut in voluminibus, in chartis plicatis numquam, quia plicatuiæ impatiens erat charta

veterum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

veterum ex papyro Ægyptiaca, cujus uſum duntaxat noverant tam Romani quam Græci. Falſa igitur illa Speculatoris obſervatio de charta teſtamenti plicata, & tribus chordulis ligata & involuta, de ſignis teſtium ab una ex chordulis dependentibus. Quæ longiſſime abſunt à forma antiqua lino circumligandi & ſignandi teſtamenti. Eam dum nobis pro antiqua ſatagit obtrudere bipedum indoctiſſimus leguleius, ludibrium ſe debere non ſentit omnibus ſanis & doctis. Si ſimilis illi eſſem, furioſum hîc eum compellarem. Furor quippe eſt & manifeſta phrenitis, velle eam complicatæ chartæ formam cum chordulis & ſigillis ex una chordula dependulis, quam deſcribit Speculator, velle inquam eſſe eandem cum ea quam Paulus ex Senatus conſulto introductam ſcribit, & quam Salmaſius in lib. de Modo uſurar. explicavit. Si *chartam* pro membrana eum dicet accepiſſe, ut nunc vulgo loquimur, tanto magis ineptus vel etiam inſanus, cum *chartam* veteres non dixerint, niſi de ea quæ ex papyro eſſet contexta. Locum illum Pauli decantatiſſimum eſſe dicit noſter rabula. Sed quid tum? An qui eum decantarunt, etiam intellexere? Ipſe fidem facit quam male hactenus intellectus fuerit cum in Sect. XVIII. notat eum morem ſignandi qui à Paulo tra-

ditur, *diu duraſſe & ad noſtra pene tempora, ita ut non paucos contractus ita ſignatos viderimus, quorum nonnullis ſignatorum ſigilla appenſa adhuc extabant.* Non ſani hæc eſſe hominis etiam aliquis non ſanus jurare poſſet. Certè portentoſam inſcitiam veteris moris in ſignandis teſtamentis & aliis quà privatis quà publicis contractibus apud Romanos & Græcos ſervati, produnt. Vel illud eum revocare debuit à tam ſtolida ac veſana cogitatione, quod & Suetonius in Nerone & Paulus de ſolis ceratis tabulis, quibus tralaticium tunc fuit teſtamenta conſcribi, intellexerint, non de aliis. Non certe de noſtris chartis complicatis, quæ notæ antiquis non fuerunt. Nec magis illis cognita liquet fuiſſe ſigilla appenſa chartæ vel membranæ aut ex aliqua chordula dependula, ut in teſtamentis & contractibus ante centum aut ducentos annos ſcriptis videre eſt. Præterea *linum* erat, id eſt filum ex lino, non chordula, quo veterum teſtamenta circumligabantur, nec umquam aliter nominant Juriſconſulti, Plautus, Cicero, Suetonius, Juvenalis & alii claſſici auctores. Plura loca ex Jure produci poſſent quæ *linum* appellant, quo teſtamenti tabulæ conſtringebantur. Servius ad Eclogam IV. *Nam linum cum dicimus filum ſignificantes, primam habet longam.* Inde *linum* quo margaritæ inſeruntur, filum eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

non chordula. Quæ funiculo vel chordula inſererentur, foramen nimis magnum haberent, & hoc ipſo minus viderentur pretioſæ. Tertullianus de Habitu muliebri, *uno lino decies ſeſtertium inſeritur.* Pro eo *filum* dixit Hieronymus: *Vno filo villarum inſuunt pretia.* Celſus lib. VII. cap. XIV. de ligatura umbilici infantis; *à quibuſdam ad imum acu trajectatur duo lina ducente, deinde utriuſque lini duobus capitibus diverſæ partes adſtringuntur.* Idem *Filum* alio loco dixit, eodem libro ubi de pueris infibulandis agit. *Siglans ab his libera eſt, is locus fibulæ idoneus eſt. Tum quia notæ ſunt cum acu filum ducente tranſſuitur.* Hoc ipſum eſt quod alibi *aciam* appellavit; de qua fruſtra diſputarunt viri docti quid eſſet, cum ſit filum vel linum quo ſuitur & quod acu ducitur, ab acu propterea ſic dictum, & Græci ῥάμμα appellant, id eſt filum ſuendo idoneum quod erat retortum, id eſt ex duobus filis, qualia è colu neta exeunt, compoſitum. Hinc *linum* etiam dictum quo conſuebantur calcei, quamvis eſſet craſſius. Iuvenalis Sat. III.

— Vel ſi conſuto vulnere craſſum
Atque recens linum oſtendit non una cicatrix.

Linum quoque Græci, id eſt λίνον, appellant quo ex corio navigia conſuebantur, Καὶ λίνῳ τοίχων ἁρμονίη δέδεται. Theophilus λίνον quoque Græce dixit, linum quo tabulæ teſta-

teſtamenti ligabantur. Nec abnuo quin craſſius fuerit vulgari lino ſive filo quo ſuitur, quamvis eo etiam hodie ſoleamus litteras ligare & ſigno impreſſo claudere. Sed ad majores faſciculos craſſius linum adhibemus ex pluribus filis contextum, vel ex pluribus cannabinis tractis tortum. Linum certe ſive ſubtile ſit ſive craſſum, nihil aliud eſt quam lineum vinculum. Ovidius id probat *vincula Epiſtolarum* appellans linum illud quo Epiſtolæ erant obligatę. Eodē certe lino, hoc eſt fili genere Epiſtolæ circumligabantur, ſive in tabulis cera inductis ſcriptæ forent, ſive in chartæ volumine. Certe non alia dari poteſt forma ſignandi teſtamenti prӕter eam quam Salmaſius oſtendit & explicavit, quantumvis furere pergat, ut contrarium evincat commoti cerebri ludimagiſter. Simpliciſſima ea ratio fuit. Si tabulæ erant ligneæ vel chartaceæ aut mēbranaceæ, id eſt codex ex charta vel membrana vel ligno, circumligabatur lino, id eſt filo craſſiore, deinde ei ipſi lino imponebantur ceræ infixę, ſive ceræ fruſta, quibus imprimebantur à teſtibus annuli ſignatorii. Nullū hîc myſteriū quod non ſit facilimæ ἐποπτείας, intelligentibus ſaltem Romanę & Græcæ antiquitatis. Imperitis & Heraldo ſimilibus omnia in operto & ἀπόκρυφα. In Plauti Bacchidibus neſcio quis poſcit ceram & linum obligandæ & obſignandæ Epiſtolæ.

Cedo tu ceram & linum, actutum, age, obliga, obſigna cito.

Epiſtolæ olim ſæpe in ceratis tabulis ſive codicibus ligneis cera oblitis ſcribebantur, ut & teſtamenta, ſed brevioris tantum erant formæ; unde & *Codicilli* dicti, quaſi parvi codices. Hinc *codicilli* pro epiſtola apud Petronium & alios. Inde & nomen *teſtamentariis codicillis*, & illis Imperatorum epiſtolis quibus honores & dignitates privatis conferebant. Inde & *honorarii codicilli*, quibus ſolum honoris titulum in aliquo officio dabant. Petit igitur ille apud Comicum *linum* ad obligandam epiſtolam, *ceram* ad obſignandam. Non difficilis eſt conjecturæ dicere, quomodo pugillaria ejuſmodi & codicilli ſive lignei & citrei, ſive eborei, ſive membranei obligarentur, nempe lino circumducto & circumvoluto. Qua vero ratione cera vel cereis ſigillis obſignarentur, non poteſt magis eſſe obſcurum, niſi quis velit dubitare utrũ cera ſignanda poneretur in alia parte tabularum, quam ſupra linum. At hoc veri ſimile non eſt. Quid enim alibi infixa faceret & ſignata? Lino impoſita præſtabat ut firmius adhæreret, & ut ne diſtrahi hinc vel inde poſſet. Quod etiam videmus in iis litteris ex charta quæ lineo filo ligantur, ut ſolẽt mercatores, aut ſerico, ut elegantiores. Lineo filo vel ſericeo cera liquefacta in-

infunditur & ſtatim annulo ſignatorio premitur. Non alio igitur modo tabulæ epiſtolares & tabulæ teſtamentariæ, ſive eſſent ligneæ, ſive membranaceæ, ſive etiam chartaceæ, obligari ſolebant & obſignari. Hoc itaque eſt quod *obſignare tabulas* dictum veteribus, non aliud, lino nempe circumligare, & ſigna ſupra linum imponere. Quod adeo verum eſt, ut ſi linum inciſum eſſet, nõ haberetur teſtamentum pro ſignato, quamvis ſigna omnia integra eſſent & intacta. Sic enim leg. 1. D. de bonorum poſſeſſ. ſecund. Tabul. §. x. Iuriſconſultus ſcribit, *Si linum quo ligatæ ſunt tabulæ, inciſum ſit, & teſtator hoc fecerit, non videntur ſignatæ, & ideo bonorum poſſeſſio peti non poteſt.* Hinc *ſupervacuum linum* dixit Satyricus de chirographis quæ non agnoſcit debitor, eoque pro non ſignatis habentur.

Si decies lectis diverſis parte tabellis
Vana ſupervacui dicunt Chirographa lini,
Arguit ipſorum quos littera, gemmaq; princeps
Sardonychum loculis quæ cuſtoditur eburnis.

Ita enim ſcribendum ſecundo verſu arguunt ſcripta exemplaria, in quibus *lini* legitur non *ligni.* Ipſi qui ſcripſerunt chirographum & ſignarunt, negant à ſe ſcriptum ſignatumque, & ſic ſupervacuum linum earum tabularum evadit, id eſt obſignatio. Quia, ut dixi, ſine lino ſigna per ſe nihil poſ-

ſunt efficere claudendis & obſerandis tabulis, ſi ſola imprimerentur exteriori parti tabularũ, ideo quoniam inciſum eſt linum, non habentur pro ſignatis. Quidam etiam olim confecto jam teſtamento, ſi eos poſtmodum pœniteret, ſolo inciſo lino vel rupto tabularum, pro inteſtatis moriebantur, quaſi ſi non ſignatum foret teſtamentum. Paulus in Collatione legum Moſaicarum cum Romanis ſub titulo de legitima ſucceſſione; *Inteſtati dicuntur qui teſtamentum facere non poſſunt, vel ipſi linum ut inteſtati decederent abruperunt.* Et ſane linum per ſe circumvolutum tabulis vel codici & vtrimque nodatum, ſic eas conſtringit & occludit, ut aperiri non poſſint niſi rumpatur aut incidatur. Quod non poſſunt præſtare ſola ſigilla ex cera, quamvis omnis tabularum ſuperficies iis obtegeretur. Ideo Iliacis temporibus, quibus nec ſigna nec claves in uſu fuere, ſola vinculorũ circumligatione claudebantur, ut ex iſtis Homeri verſibus liquet ix Odyſſeæ, de arca cui vinculum circumponi præcipitur, ut operculum cum ipſa conſtringatur,

Αὐτὸς νῦν ἴδε πῶμα, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλον
Μήτις τοὶ καθ' ὁδὸν δηλήσεται.

Ad quem locum notat Euſtathius ex antiquis Scholiaſtis, *παλαιὸν γὰρ φασὶν ἔθος ἦν καταςφαλίζεσθαι δεσμοῖς· ἡ κλεὶς γὰρ νεωτέρων*

καὶ

καὶ λακώνων εὕρημα. Antiquus mos fuit claudere vincuils, claves enim poſteriorum inventum & Laconum. Plinius lib. XXXII. cap. I. eodem poëtæ loco probat annulorum uſum arcis & aliis utenſilibus claudendis fuiſſe ignotum. *Nec Iliacis temporibus ullos fuiſſe annulos video. Nuſquam certe Homerus dicit, cum & codicillos miſſitatos Epiſtolarum gratia indicet & conditas arcis veſtes, & vaſa aurea argenteaque & ea colligata nodo, non annuli nota.* Argumento hoc Plinius utitur non uſitatæ per annulos obſignationis Trojanis temporibus, quia cum codicillorum epiſtolarium meminerit aliquot locis, numquam tamen ſignatos eos memorat. Sed & arcæ quibus condebãtur veſtes & alia pretioſa, ſola nodi nota, non annuli, apud eum colligantur. Ergo eo tempore etiam codices & codicilli ſolo lineo vinculo obligari ſolebant, ut & arcæ & alia claudenda. Non enim apertæ miſſitabantur epiſtolæ. Et codicilli illi quos contra ſe ſcriptos Bellerephon tulit, non erant, ut eſt veriſimile, aperti, ſed obligati. Poſt inventionem annulorum ſignatoriorum, quo tutiores forent tabulæ lino colligatæ, ſupra linum ipſum ſigilla figebantur cerea, annulo impreſſa. Quod etiam ad alias res tranſlatum eſt annulo claudendas. Sed de tabulis & codicibus nunc tantum agimus. Olim unico lino ligabantur Ta-

bulæ Teſtamenti, ut & Epiſtolæ, ſed poſtea repertum tempore Neronis, & Senatusconſulto conſtitutũ contra falſarios, ut in media parte & ſummo margine tabularum foramẽ fieret, & trajecto per id triplici lino & circumjecto conſtringerentur. De quo infra erit pluribus dicendum, ubi de ſolis tabulis ceratis Senatuſconſultum illud factum fuiſſe docebimus. Atque hæc de tabulis, id eſt de codicibus ex pluribus tabellis compaginatis quæ σχῆμα τετράδος haberent. Hoc enim proprie *Tabularum* nomine intelligi debere Gloſſæ nomicæ, docent, τὸ ἐν σχήματι τετράδος ἐξ οἵας δήποτε ὕλης συντιθέμενον καὶ δεχόμενον τὴν διαθήκην Ταβούλα λέγεται. *Quod figuram habet quadratam ex quacunque materia compoſitum ad teſtamentum recipiendum, Tabula vocatur.* Alia figura fuit voluminum ex charta fieri ſolitorum, in quibus etiam teſtamentum ſcribere jus faſque fuit teſtatori omni. An alio modo ligabantur & ſignabantur quam codices ex tabellis ſive τετραδίοις contexti vel tabulæ ipſæ ceratæ? Imo eodem prorſus lino quoque ipſa obligari mos fuit & ſuperpoſitis impreſſiſque lino ſigillis obſignari. Mentio horum extat in Apocalypſi cap. V. καὶ εἶδον ἐπὶ τὴν δεξιὰν τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ θρόνου βιβλίον γεγραμμένον ἔσωθεν καὶ ὄπισθεν, κατεσφραγισμένον σφραγῖσιν ἑπτά. Liber hic intus & in tergo

ſcriptus & ſeptem ſigillis obſignatus, volu-
men ex charta fuit, qualia dicebantur ὀπι-
σθόγραφα, cum tam in interiori quam exte-
riori parte ſcriberentur. Codices enim qui
multiplici tabella ſive ex pluribus τετραδίοις
conſtabant, non dicebantur ἔσωθεν καὶ ὄπισθεν
ſcripti intus & foris, quia omnes paginæ
tam adverſæ quam averſæ interiorem partē
codicis conſtituebant, in volumine autem
ſive libro convoluto, pars ea ſola cenſeba-
tur interior quæ inter volvendum occulta-
batur, exterior quæ quaſi pro tegmine con-
volutæ partis habebatur, raro ſcriptura no-
tabatur, ſed ſola interior. Aliquando tamen
& in his quæ ex eo *Opiſtographa* diceban-
tur, conſcribi etiam ſolebat. In his opiſto-
graphis chartis licuit porro & teſtamentum
ſcribere, & valebat ita ſcriptum æque ut in
tabulis & codice, ut jam ſupra dictum eſt.
Vocem autem Βίβλιον de chartaceo pro-
priè & quidem volumine Græcis dici no-
tum eſt, idque Salmaſius in lib. de Modo
uſurarum docuit. Liber autem ille divinus
in Apocalypſi teſtamenti inſtar obſignatus
ſeptem ſigillis dicitur, & quamvis lini non
fiat ibi mentio, cum tamen abſque lino ne-
que libri, id eſt volumina, neque tabulæ &
tabularum forma confecti codices, ſole-
rent obſignari, hoc etiam intelligendum.
Nam *obſignare* non eſt ſimpliciter ſigilli im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

preſſione claudere, ſed lino ligatis tabulis ſupra linum ipſum ſigna imponere. Hinc in Inſtitutis lib. II. Titulo de pupillari ſubſtitutione *proprio lino & propria cera* conſignari dicitur ea pars ſubſtitutionis pupillaris, quam teſtator vult eſſe ſecretam nec aperiendam vivo filio & adhuc impubere. *Eamque partem proprio lino propriaque cera conſignare.* Hoc eſt ut Græce reddidit Theophilus, Τοῦτο τὸ μέρος ἰδιάζοντι λίνῳ δεσμείτω, καὶ ἰδιάζοντι κηρῷ σφραγιζέτω. *Et hanc partem proprio lino liges, & propria cera ſignet.* At in latino dicitur; *proprio lino & propria cera conſignet.* Quia ſignandi actus non ſine lino fiat, ideo uno verbo *conſignare* utrumque actũ explicant, quo lino ligantur tabulæ & quo cera ſignantur. Ringatur licet, & rumpatur maledicentiſſimum pecus, numquam efficiet ut aliter hæc ſe habeant, aut alia ſignandi ratio quæ per linum peragitur in Tabulis teſtamenti & aliis obtinuerit. Alteram ſignandi rationem, qua non lino ligatur codex teſtamenti, ſed linteo involvitur, oſtendit Ulpianus leg. XXII. D. qui teſtamenta. *Signatas*, inquit, *tabulas accipi oportet, etſi linteo quo tabulæ involutæ ſunt ſigna impreſſa fuerint.* Haud ſcio an volente ac propitio noſtro magiſtro poſſim Gothofredum hîc reprehendere, qui *linteum* videtur accepiſſe pro *lino.* Notavit enim ad hanc legem è

con-

contraria lege D. de bonorum poſſeſſione ſecundum Tabulas, dici lino inciſo non videri ſignatas tabulas. Ergo *linteum* & *linum* pro re eadem accipi putavit, cum longe differant, & in tantum ut filum lineum à velo vel panno linteo diſcrepat. Apparet ex eo loco Ulpiani, ſolitos aliquos non lino ligare tabulas ſolitos & ſigilla ligaturæ imponere, ſed linteo involvere, ac ſuper linteum ſigna imprimere. Non ſolum chartacea volumina, ſed etiam codices linteis involvebant, etiam cum ligati forent, & linteum ipſum quo tegebantur, obſignabant ſigillis impreſſis, non ipſum linum ſive filum. Nam ſi tunc obtinuit ex decreto Senatus ut tabulæ ligneæ & ceratæ pertuſæ in medio fierent margine, ut per foramen lino triplici trajecto obſignarentur, & aliter prolatę non valerent, non videtur id in his involutis & obſignatis linteis locum habuiſſe. De quo infra. Poteſt etiam fieri ut codices ſive tabulas non ligatas linteo involverint, ſed ipſum linteum lino conſtrinxerint, & more ſolito ſupra linum impoſitis ſignis obſignarint. In Carthaginenſi Collatione ſecunda intra *Sabanum* quod idem eſt ac linteum, volumina ſchedarum & codices tabularum pariter obſignati leguntur. Locum in ſequentibus afferemus. Ibi pariter obſignati codices cum volumine ſcheda-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

rum dicuntur eodem ſenſu quo *duo codices ſimul ſignati*, in lege de qua agitur. Gloſſæ veteres: ὁμοῦ, *pariter*, *una*, *ſimul*. Sabanum in iiſdem Gloſſis linteum exponitur. Σάβανον, *Sabanum*, *Linteum*. Linteum in hac lege Baſilicorum interpretes πανίον Græca voce ex latina corrupta reddiderunt, quæ *pannum lineum* ſignificat. σφραγισθῆναι διαθήκη λέγεται, εἰ καὶ τὸ πανίον ἐν ᾧ ἐμβάλλεται σφραγισθῇ. *Signatum dicitur teſtamentum etiam cum linteum cui immittitur, ſignatum fuerit*. Sane magnus error eſt *linteum* pro lino intelligere. *Lintea* & *vela* apud poëtas συνωνύμως in navibus dicuntur. At linum eſt filum. Quod adeo parum videntur ſciſſe Lexicorum juridicorum conſarcinatores, ut *linum* quo ligantur tabulæ, aliquot legibus allatis poſuiſſe contenti, non etiam quid eſſet expoſuerint. Et mirabitur tamen ex ludimagiſtro & rabula concretum monſtrum, ignoraſſe doctores ſuos quid eſſet teſtamentum ſignare, cum neſciverint quid proprie *linum* ſignificaret quo ligabantur, cum ſigillis eidem lino impreſſis obſignarentur? Quomodocunque igitur ſignarentur tabulæ teſtamenti, ſive lino circumvolutæ & ſigillatæ, ſive linteo circumtectæ, certum eſt eodem modo duas tabulas ſimul potuiſſe ſignari ut unam, aut lino eodem obligatas, aut eodem linteo involutas. Ita hodie ſolemus æque facile

uno

uno eodemque involucro duos libellos in unum faſciculum conſtringere atq; unum. Non enim operoſius eſt eodem funiculo duos libros involutos colligare, & ex cera ſignum impreſſum funiculo ſine ligamento imponere, quam librum unum. Certe duas tabulas teſtamenti vel duos codices, & duo etiam volumina tam bene poſſe ſimul ligari & ſignari quam unum, nemo jam non videt niſi qui cæcitate par ſit Heraldo, qui talpas ſuperat.

CAP. XII.

De vocis Latinæ adverbialis ſimul *ſignificatione. Item de Græcis* ἅμα καὶ ὁμοῦ. *In his exponendis Advocati ſtultus labor ex Græcorum Philoſophorum libris eas interpretantis. Latinam reſpondere duabus Græcis* ἅμα *&* ὁμοῦ, *& modo* χρονικὸν *eſſe, modo* τοπικὸν ἐπίῤῥημα.

NUnc reſtat ut videamus, an verba legis hunc ſenſum admittant, & an vocula *ſimul* ut Romanis tunc accipiebatur, id ferat, cum *duos codices ſimul ſignatos* Juriſconſultus dixit. Rabula noſter, ut ſciremus eum non tantũ caninam in foro exercuiſſe operam, ſed Philoſophiæ aliquam quoq; dediſſe, Ariſtotelem & Simplicium allegavit, ut adverbii Latini *ſimul* proprietatem inde nos doceret. Prius tamen ex Onomaſticis & Gloſſariis, ne etiam neſciremus quantum in

iſtis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

iſtis temporis triverit, *ſimul* idem eſſe quod ἅμα pronuntiavit. Ego vero ajo idem eſſe quod Græcum ὁμῦ, & inde factum. Rationem infra dicam. Sed præ omnibus de ſuo cerebro reſpondit, ut Juriſconſulti antiqui ſolebant, *ſimul conjunctionem ſignificare, ſed primam & præcipuam temporis.* Quæ verba quid ſignificent, peream ſi ſcio. Nam quid eſt prima & præcipua conjunctio temporis? Si aliqua conjunctio temporis prima eſt, aliqua eſt ſecunda. Tres continenter exeunt ex eodem loco. Prima conjunctio temporis eſt inter primum, & ſecundum, ſecunda inter ſecundum & tertium. Numquid aliter accipi poteſt? Sed fortaſſean in ſequentibus ſe explicabit. Id videamus. *In Gloſſariis & Onomaſticis reperio ſimul eſſe* ἅμα. *At cum hoc Græce*, inquit, *pluribus modis dicatur, primum conjunctionem temporis ſignificat.* Falſum eſt ἅμα plurimis modis Græcè dici, cum duo tantum deſignet, locum & tempus. Cum vero tempus ſignat, aut idem temporis punctum & momentum denotat, ut cum dicunt, *animas ſimul cum corpore interire*, quod eſt ἅμα: aut ſpatium temporis, ut cum dicitur de duobus, *ſimul eos conſules fuiſſe.* Ut Græci Σόλων καὶ Ἀνάχαρσις ἅμα ἐγένοντο, ſimul fuerunt, id eſt eodem tempore vixerunt. Secundum hanc ſpatii extenſionem de geminis poteſt dici ἅμα

γεννη-

γεννηθέντες, ſimul natos eos eſſe, cum alter prior in lucem prodit, alter poſterior. At *ſimul*, ἅμα, conceptos recte etiam dixeris qui unico momento fuerint proſati. Si duo ſimul domum intrent per eandem januam æquatis frontibus & junctis lateribus, aut ſi unus poſt alterum, æque *ſimul ingreſſos eſſe* poſſis tam hos quam illos dicere. Idem igitur tempus habetur tam de momento eodem, quam de continuata ejus ſerie cum aliquo ſpatio interpoſito. At Philoſophaſter hic ait, idemque Grammaticaſter, cum ἅμα plurimis modis dicatur, *primum modum conjunctionem temporis ſignificare*. Quam conjunctionem? Nam ſupra duas videtur poſuiſſe, cum aliquam primam & præcipuam eſſe definivit. Ex plurimis autem illis modis quibus dicitur Græce ἅμα, primum ponit quo ſignificat temporis conjunctionem. Quid his ſibi vult? an temporis conjunctionem ea magis habent quæ uno eodemque temporis momento fiunt, quam quæ tempore continuo & contiguo? Tempore ſane conjunguntur qui ſimul naſcuntur, quamvis alter poſt alterum exeat, quia tempore continenti ſunt & conjuncto eorum genituræ. In iis vero qui ſimul concipiuntur, tempora non ſunt conjuncta, ſed unum idemque ejus punctum, & ἀμερές. Tempus res eſt una & continua,

perpeti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

perpeti curſu labens, ſed prout res diverſæ in eo continenter fiunt aut contingunt vel cum intervallo intercedente. ita aut conjunctis & iiſdem temporibus contingere dicuntur, aut diſcretis & diverſis. Inepte igitur hîc philoſophari contendit Legicrepa, in his quæ ex uſu & norma loquendi explicanda ſunt. *Simul* Latinorum reſpondet potius τῷ Græco ὁμοῦ, quam τῷ ἅμα Nam ἅμα numquam apud Græcos accipitur niſi de tempore, at ὁμοῦ tam de loco quam de tempore, ut notatur Grammaticis. Idem eſt de Latino *Simul*. Græci Grammatici ἅμα ſimpliciter docent ἐπίρρημα eſſe χρονικόν. Duobus hoc modis jam accipi dixi, de eodem temporis puncto & de ſpatio. Idem eſt de adverbio Latino *ſimul*. Sed præter hanc temporis & ſpatii ſignificationem, Latinum *ſimul* localem habet conjunctionem ſive collectivam notionem. Quo ſenſu Græcis propriè uſurpatur ὁμοῦ. Quod etiam aliquando eſt χρονικόν. Ὁμοῦ quippe apud poëtas ſumi pro ἅμα, Grammatici obſervarunt. Idem de voce *ſimul* notatum à Grammaticis Romanis. Optimæ Gloſſæ, *Simul*, ἅμα, ὁμοῦ. Utrumque Græci ita diſtinguunt, ut ἅμα ſit χρονικὸν ἐπίρρημα, ὁμοῦ τοπικόν. *Vna* & *ſimul* ita Latinis etiam placuit diſcernere. Chariſius, *Vnà locum*, *ſimul vero ſpatium deſignat*. Contrarium tradit Cornelius Fronto

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

in libello de differentiis vocum: *Simul locum, una vero congregationem demonſtrat.* Cum *ſimul* locum demonſtrat, idem plane deſignat quod Græcum ὁμȣ͂. Et in hac ſignificatione paſſim apud auctores Latinos uſurpatum duravit uſque ad extima Romani imperii tempora & in idiotiſmum noſtrum ex eo derivatum. Dixerunt autem *inſimul* pro ſimul, ut *inſecus* pro ſecus, *inſemel* pro ſemel, *inante* pro ante, & ſimilia. Inde Gallicum noſtrum *enſemble* quod eſt Græcum ὁμȣ͂. Sic ergo *codices ſimul ſignatos* apud Juriſconſultum non de his accipimus, qui uno eodemque tempore, id eſt in continenti alter poſt alterum, lino ligati & obſignati fuere, ſed qui in unum veluti faſciculum collecti & colligati & obſignati ſunt. Quod etiam factum liquet uno eodemque temporis momento & puncto. Ut apud Virgilium, *Omnes ſimul ore fremebant Dardanidæ.* Fremebant omnes, non alii poſt alios, ſed omnes ſimul & pariter, id eſt ὁμȣ͂, uno eodemque tempore. Sic paſſim reperies hoc adverbium ab Auctoribus Latinis uſurpari.

CAP.

CAP. XIII.

Non cavillari Salmaſium nec hallucinari in legis de qua quæſtio eſt explicatione. Nec duobus locis diverſo modo eam interpretatum eſſe. Non neſcire quoque quot modis vox ſimul *accepta ſit Latinis. Simul ſignatos codices non poſſe accipi niſi eo modo quo expoſuit Salmaſius.* Simul *aut unum momentum temporis ſignificare, aut continuum temporis tenorem, prout res eſt de qua agitur. Heraldi impoſtura & imperitia notata.*

ITa Salmaſius pridem expoſuit eam legem, cujus verba ipſa poſuit Advocatus Num. VI. ex pag. CCI. Obſervationum ad Jus Atticum & Romanum; *Non eodem tempore ſignatos illos duos codices dixit Iuriſconſultus, ſed ſimul, id eſt eodem lino comprehenſos & involutos & obſignatos.* Sed in Num. VII. probare conatur, eundem Salmaſium alio loco earumdem Obſervationum, nempe pag. CC. non eodem modo illud *ſimul* accepiſſe, ſed pro adverbio communionem temporis ſignificante. Quæ portentoſa eſt impoſtura improbi rabulæ. Ex ipſis Salmaſii verbis quæ ibidem adfert, dilucebit an diſſidentia ſibi ſcripſerit. Ita enim ſcribit eo loco: *Non dicit Iuriſconſultus ſimul fuiſſe ſcripta illa duo teſtamenta, ſed ſimul tantum ſignata. Si unum prius ſignatum, deinde alterum fuiſſet, poſterius ſignatum prævaluiſſet, priore irrito. Noſtro autem more ſignandi, non potuerunt ſimul ſignari præſertim ab*

iiſdem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

iiſdem teſtibus. In priori objectione quæ poſterior eſt in libro Salmaſii, ſed ſycophanta vult eſſe priorem, ex mente ſua loquutus eſt, & *ſimul* interpretatur ὁμοῦ, & *duos codices* ſimul ſignatos, in unum colligatos : in poſteriore vero objectione, quæ prior eſt apud Salmaſium, ex opinione vulgari Doctorum expoſitionem eam poſuit, quam & impugnat. Nam eodem tempore ſignatos duos illos codices fuiſſe vulgo interpretantur. An igitur ſecum pugnat Salmaſius qui uno loco ſuam propoſuit ſententiam, in altero communem refutavit? Præter calumniam etiam convitia ſuo more ingerit. Nam *putide hîc cavillari, aut fœde hallucinari* Salmaſium dicit. Digna ſe plane dicit. Sed ubi putida illa cavillatio aut fœda hallucinatio, dic Aretaloge? Si ſimul ſignatos de tempore intelligimus, aut uno eodemque temporis puncto ſignatos intelligi neceſſe eſt quod non poteſt fieri, aut uno tenore & contextu. Quo caſu alterum prius erit ſignatum, alterum poſterius, & ſic poſteriore valido prius infirmabitur. An hoc eſt cavillari? Huic ſi potes reſponde cavillationi, & vir eris, non beſtia. Nam quod jam reſpondiſti, tale eſt, ut objectionem Salmaſii non magis diluat quam ceram aqua frigida. Dicis *neſcire Salmaſium aut neſcire ſe fingere*, ſimul *non ſignificare ſemper idem momentum, ſed* ſimul *dici ſæpiſſi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

me cum tempora ſunt proxima nec interrupta, atque diverſo modo accipi, à Iuriſconſultis maxime, qui ſenſum & uſum communem ſequuntur, pro diverſitate τοῦ ὑποκειμένου. Hoc non eſt objectioni reſpondere, ſed in eodem luto hæſitare, & nodum nodo ſolvere. Iam dixit tibi Salmaſius, ne ſic quidem accipi poſſe vocem *ſimul* in ea lege, nam ſi de temporibus ut ais proximis nec interruptis intelligeretur, neceſſe omnino eſſet alterum prius ſignatum fuiſſe, deinde alterum. Et ſic non verum eſſet quod poſuiſti, ita ſimul ſignatos fuiſſe duos illos codices, ut dici nequeat, quis prius, quis poſterius ſit ſignatus. Nec juvat hilum exemplũ quod adfers de geminis qui ſimul naſci dicuntur, & tamen alterum prius fundi neceſſe eſt, alterum poſterius. Imo hoc contra te facere non animadvertis, tantus eſt tuus ſtupor. Quippe ſi in geminis qui ſimul nati dicuntur, alter tamen exit prior, alter poſterior, & numquam ferme hoc ignoratur quis eorum ſit primogenitus, certè idem in duobus teſtamentis ſimul ſignatis uſu venire dici poteſt. Tu enim ſimul ſignatos eo modo interpretaris ut duos geminos ſimul natos, nempe unum poſt alterum. Ut autem in geminis numquam fere ignoratur quis ex illis prior fuſus ſit, quis poſterior, ita non in ſimul ſignatis duobus codicibus hoc poſſe incertum eſſe

con-

contendo, quis prius ſignatus fuerit, quis poſterius. Nam poſt mortem teſtatoris mos erat aperire teſtamenta, & in his aperiendis aut omnes teſtes qui ſignaverant, aut maxima pars ſolebat adhiberi, qui poſtquam ſigna ſua agnoviſſent, lino rupto vel inciſo teſtamentum reſignabatur & recitabatur. Si duo tunc codices prolati eſſent, & incertum foret quis ex illis prius ſignatus, quis poſterius, nonne putas ſuper eo interrogatos teſtes potuiſſe verum dicere? Nonne credis illis fidem habitam fuiſſe? Si obſtetrici creditur de geminis uter ſit prior natus, uter poſterior; quanto magis teſtibus adhibitis in aperiendo teſtamento credi oportuit uter codex prius ſignatus fuerit ex duobus prolatis, uter poſterius? Si vero tum conſtitiſſet de priore ſignato & de poſteriore, an judicas non prævaliturum fuiſſe poſteriorem, priore invalido? Hunc morem fuiſſe aperiendorum teſtamentorum, ſi Juriſconſultus es, latere te non poteſt ex Titulo digeſtorum, quomodo teſtamenta aperiantur, & ex lib. IV. Sententiarum Pauli de Viceſima hæreditatum. Quinimo conſtat ex Leg. II. D. Teſtamenta, ſi plura ſint teſtamenta quæ quis exhiberi deſiderat, univerſorum ei facultatem eſſe faciendam. Id eſt, ſi plures ſint codices teſtamenti. Cenſes ergo tam fatuos fuiſſe quorum intererat ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

hiberi ſibi tabulas unius teſtamenti quęcunque extarent, & qui à Prætore petebant eas inſpiciendi & deſcribendi facultatem, ut teſtes qui aderant aperiendo, non interrogarent, quænam ex his quæ exhiberentur, primo loco ſignatæ forent, quæ ſecundo, quæ tertio? Quod addis, *ſic ſimul mortuos dici in Iure qui eodem tempore mortui ſunt, etſi incertum ſit quis prior aut poſterior ſit mortuus.* Nec iſtud, hominum omnium qui ſunt ineptiſſime, quicquam tibi prodeſt. Si ignoratur & incertum eſt quis prior aut poſterior ſit mortuus, pro eodem habetur ac ſi eodẽ momento mortem ambo oppetiſſent. Si vero id ſciretur, tum magna vel ipſo jure fieret differentia, & Juriſconſulti aliud ſtatuunt cum id ſcitur & cum neſcitur. At ego tibi dico in duobus teſtamenti codicibus ſimul ſignatis eo ſenſu quo tu tuique Doctores id intelligunt, non potuiſſe eo tempore incertum eſſe quis horum prius ſignatus, quis poſterius eſſet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

CAP. XIV.

Simul *non tantum tempus unum vel continuum ſignificare, ſed etiam collectivam multarum rerum ſimul congregatarum habere ſignificationem. Ita in lege de qua agitur eſſe accipiendum. Iuriſconſultos hoc ſenſu fere ſemper vocem* ſimul *uſurpare, cum vero de tempore vel continuo vel uno loquuntur, id aliter exprimere.* Simul *eo ſenſu eſſe Græcorum ὁμοῦ, non ἅμα.*

VT tua tibi reddam, neſcis aut neſcire te fingis, præter illas duas adverbii *ſimul* ſignificationes quæ inſtans momentaneum deſignant, aut ordine non interrupto fluens, quibus duabus notionibus τῷ ἅμα Græcorũ reſpondet, tertiam eſſe qua pro eorundẽ Græcorum ὁμοῦ ponitur. Et hoc plane ſenſu in hac lege accipiendum eſſe liquet, *quo duo codices ſimul ſignati* dicuntur. Et verum quidem eſt quod ais, diverſis modis hoc vocabulum accipi à Juriſconſultis qui ſenſum & uſum communem ſequuntur, pro diverſitate τοῦ ὑποκειμένου & ſecundum ſubjectam materiam. Ecce enim ſi quis diceret duos codices ſimul ſcriptos, non ab aliquo autographo deſcriptos, non poſſet id accipi de uno temporis momento. Nam natura rerum repugnat, ut unus idemque ſua manu eodem tempore duos codices poſſit ſcribere. Ergo tunc deberet intelligi uno tenore & contextu eos deſcripſiſſe & unum poſt alterum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Teſtes ſeptem vocati ſunt ad ſignandos duos codices, ſi ſimul eos ſignaſſe dicantur, accipi convenit non eodem nomento ſignatos, ſed continenter, & poſtquam alter ſignatus fuiſſet, alterum ſignatum. Atqui non poteſt in hac lege ita accipi, quia ſi ita ſignati forent, unus ex his prius, alter poſterius ſignatus intelligeretur, & hoc modo non poſſent duo illi codices pro uno teſtamento haberi cum diverſos hæredes ſcriptos habeant. Ergo *ſimul ſignati* debent hic accipi ea notione qua id adverbium ſæpe accipitur, nempe *ὁμȣ̃* ſignati, id eſt, eodem *pariter* lino colligati & iiſdem ſigillis ſigillati. Nam & *pariter* ea notione ponunt Latini. Florus dixit *ſimul pariter*. Latinũ eſt ac vetus, *eadem catena militem ſimul & reum pariter teneri*, quod *cuſtodiam* vocabant. Notandum autem raro aut numquam fere Juriſconſultos, *ſimul* in ea ſignificatione ponere cum aliquod factum volunt dicere eodem tempore, ſed continenti. Nam *eodem tempore* potius factum id dicunt quam *ſimul*. Vt leg. XLVII. D. de Legatis II. *Binæ tabulæ teſtamenti eodem tempore ſcriptæ exemplarii cauſa, ut vulgo fieri ſolet, ejuſdem patrisfamilias proferantur.* Vbi *eodem tempore* ſcriptas par eſt intelligi, non eodem momento, ſed eodem tenore & continenter. Sic leg. XXII. Cod. de Teſtamentis. *Quo facto, & teſtibus uno eodemque*

demque die ac tempore ſubſcribentibus ac ſignantibus teſtamentum valere. Ita paulo poſt: *In omnibus autem teſtamentis quæ præſentibus vel abſentibus teſtibus dictantur, ſuperfluum eſt uno eodemque tempore exigere teſtatorem & teſtes adhibere & dictare ſuum arbitrium.* Non de eodem momento hoc accipi oportet, ſed de temporis ejuſdem ſpatio & tenore. Sic in Inſtitutis titulo eodem: *uno eodemque tempore* & *nno contexto* in eadem ſignificatione ponuntur, & in eadem re exponenda. Lex. XXI. D. Qui teſtamenta; *uno contextu* explicat, cum nullus actus alienus teſtamento intermiſcetur. Alias *uno tenore. Conſequentia* eſt in leg. XXVIII. Cod. de Teſtamentis. Citat Advocatus titivilitii ex leg. XXI. Cod. eodem. *ſufficit uno tempore eodemque die nullo actu extraneo interveniente omnes teſtes videlicet ſimul, nec diverſis temporibus ſubſcribere.* Ex quibus probare vult, *teſtem quemque ſignaviſſe ordine ſuo, & tamen ſimul.* Quis hoc negat? ſed non vidit illud *ſimul* eo loco non eſſe χρονικὸν, ſed τοπικὸν. Cum enim jam dixiſſet, ſufficere ut uno tempore & eodem die, nullo extraneo actu interveniente teſtes ſubſcriberent & ſignarent teſtamentum; cum, inquam, his verbis ſatis quod voluiſſet expreſſerit, quid opus fuit addere *ſimul,* in eodem ſignificatu, præcipue cum ſtatim etiam ſubdiderit, *nec diverſis temporibus*? Palam eſt igitur, *ſimul* hîc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

eſſe ὁμοῦ, non ἅμα. *Sufficit*, inquit, *uno tempore eodemque die omnes teſtes, videlicet ſimul*, id eſt, in eodem loco præſentes & conſiſtentes, *nec diverſis temporibus, ſubſcribere & ſignare teſtamentum.* Eodem ſenſu paulo ante poſita legitur iſta vox *ſimul*, in eadem leg. XXI. *Eamque rogatis teſtibus ſeptem numero præſentibus, civibus Romanis puberibus omnibus ſimul offerre ſignandum ac ſubſcribendum*: *Omnibus ſimul*, πᾶσιν ὁμοῦ, id eſt ibidem, in eodem loco conſiſtentibus & præſentibus. Sic ſumendum & in Leg. XXII. D. Qui teſtamenta, his verbis, *Ad teſtium numerum ſimul adhiberi poſſumus ego & pater & plures qui fuerint in ejuſdem poteſtate.* Vbi *ſimul* eſt ὁμοῦ, non ἅμα. Congregandi, & ὁμάδος habet ſignificationem. Ex his patet cum de temporis continuatione & ſpatio agitur, intra quod aliquid fieri debet uno contextu & tenore, non eodem momento, vocem *ſimul* numquam fermè uſurpari apud Iuriſconſultos, ſed frequentius aut pro ὁμοῦ poni, quod eſt in uno loco congregari & colligi, aut pro momento uno temporis, ut cum dixit Cicero, *animam ſimul cum corpore interire*, ἅμα τῷ σώματι φθείρεσθαι.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

CAP. XV.

Sententiam legis, quæ explicatur, eum ſenſum poſtulare, quem ei tribuit Salmaſius; eumque & Latini ſermonis uſum confirmare. Longiſſime à vera interpretatione Legis abeſſe eam quã confinxit Heraldus. Aliud eſſe duo teſtamenta ſimul ſcribere, aliud ſimul ſignare. Binas tabulas exemplarii cauſa ſcriptas, & duos codices ſimul ſcriptos multum ſignificatione differre. Duos codices uno lino ligari, & eadem cera ſignari poſſe. Linteo involutas duas tabulas & plures codices ſimul & pariter ſignari olim ſolitos.

CVm igitur Latinitas & uſus loquendi Romanus ferat dici *duos codices ſimul ſignatos*, id eſt eodem lino ligatos & iiſdem ſignis obſignatos, nunc experiamur an ipſa res & juris ratio, menſque legis eandem admittat interpretationē. Sed priuſquam id exequamur, removendi omnes de via ſunt lapides qui ſaxoſam & ſcabram eam poſſunt reddere, & diſcutienda inprimis expoſitio nugicrepi Advocati, cui placuit tandem poſt multos circuitus, *duos codices ſimul ſignatos*, interpretari de binis teſtamenti tabulis, eodem tempore *Exemplarii cauſa* ſcriptis. Sic enim concludit, Num. x II. pag. VI. *Ergo duo codices ſimul ſignati*, non erunt amplius *duo diverſa teſtamenta ſimul conligata* (debuit addere *& ſignata*) *ſed binæ teſtamenti tabulæ eodem tempore Exemplarii cauſa ſcriptæ, ut in Leg. Sem-*

pronius XLVII. *de Leg.* II. Tam multis millibus à veritate diviſa eſt hæc ſententia quam Leyda diſtat à Lutetia. Oportet prodigioſe Iuris eſſe imperitum qui ita poſſit ſentire & ſcribere, *duos codices ſimul ſignatos* eoſdem eſſe cum binis tabulis eodem tempore ſcriptis *exemplarii cauſa.* Primum aliud eſt, ut ante diximus, *teſtamentum ſcribere*, aliud *ſignare.* Alio atque alio tempore poterat ſcribi à teſtatore teſtamentum, & cum actus continui intermiſſione, at non poterat ſubſcribi & ſignari à teſtibus niſi uno eodemque tempore, atq; uno contextu, nullo alio actu intercedente, ut planum fit ex lege hac conſultiſſima Cod. de Teſtamentis. Deinde in leg. Sempronius D. de legatis II. binæ tabulæ ſic ſcriptæ perhibentur eodem tempore, ut eoſdem hæredes in utriſque ſcriptos fuiſſe intelligi neceſſe ſit & eoſdem legatarios, cum hac tantum differentia, quod in alteris tabulis Titio centum & quinquaginta aurei legabantur, in alteris tantum quinquaginta. Summæ tantum legati diſcrimen in illis fuit, non hæredis perſonæ, nec ejus cui legatum erat adſcriptum. At in lege de qua hîc agimus, ex duobus illis codicibus, qui ſimul ſignati ibi memorantur, alter alios hæredes, alios alter ſcriptos habuit. Poſtremo ſi harũ duarum legum idem thema vel caſus eſt, ut opinatur dupondius Juris decoctor, Legis

XLVII.

XLVII. de legatis II. & leg. I. de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas, cur Ulpianus in hac ultima lege, duobus diſtinctis paragraphis quaſi diverſos caſus ponit, unum quo teſtamentum duobus exemplaribus factum fuit, alterum quo duo codices ſimul ſignati cum aliis atque aliis hæredibus ſcriptis? Priore quippe caſu paragraphi quinti, duo exemplaria quibus teſtamentum factum eſt, reſpondent binis tabulis exemplarii cauſa ſcriptis legis *Sempronius* XLVII. Non enim ulla differentia eſt *binarum tabularum* exemplarii cauſa ſcriptarum, eoſdemque hæredes ſcriptos præferentium, & duorum exemplarium in quibus teſtator ultimam ſuam voluntatem depoſuit. Hoc tantum diſcrimen eſt thematis utriuſque, quod in caſu leg. XLVII. binæ illæ tabulæ exemplarii cauſa ſcriptæ extabant, in caſu vero legis I. de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas, unum tantum exemplar ex duobus extabat. Et recte pronuntiat Juriſconſultus videri tabulas teſtamenti extare. Si duo illa exemplaria extitiſſent, non differrent à binis illis tabulis Legis Sempronius de legatis II. quæ extabant. Quod enim ibi ait Proculus, *ut vulgo fieri ſolet*, ſatis oſtendit morem illum tunc fuiſſe pervulgatum ut in duobus exemplaribus teſtamentum fieret, ut ante notavimus aliquot exemplis. Sed

cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

cum hoc fieret, debebat utrumque exemplar, ſive binæ illæ tabulæ exemplarii cauſa factæ, eodem exemplo eſſe ſcriptæ, id eſt non alios alteræ hæredes habere quam alteræ. Hinc in leg. X. D. Teſtamenta, dicitur; *Si in duobus exemplariis ſcriptum ſit teſtamentum, altero patefacto, tabulas apertas eſſe.* Æque verum eſt quod in lege prima ponitur D. de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas, ſi ex duobus exemplaribus quibus factum eſt teſtamentum, alterum extet, alterum non extet, videri tamen extare tabulas teſtamenti; & ex eo poſſe peti bonorum poſſeſſionem. Ita ſi ex duobus exemplaribus alterum ſit apertum, apertæ videntur tabulæ teſtamenti, quia illa duo exemplaria eodem exemplo ſcripta, pro uno habentur teſtamento, non pro duobus diverſis. Nec ſolum duobus exemplaribus licuit teſtamentum facere, ſed etiam pluribus tabulis, dum omnes ſcilicet eodem exemplo ſcriptæ eſſent & eodẽ tempore completæ, id eſt ſubſcriptæ à teſtibus, & ſignatæ, ut liquet ex leg. IV. D. de his quę in Teſtamento. Hujus Thema eſt, de domino qui pluribus tabulis eodem exemplo ſcriptis unius teſtamenti, voluntatem ſolemniter eodem tempore compleverat. Dicit ibi Papinianus, ſi quaſdam ex his tabulas in publico depoſitas abſtulit aut delevit, non conſtitui irritum teſtamen-

tum,

tum, cum ex aliis tabulis quas non abſtulit, ea quæ jure geſta ſunt declarentur. Sive in duabus igitur, ſive in pluribus tabulis vel codicibus vel exemplaribus, quod idem eſt, factum fuerit teſtamentum, dummodo uno exemplo ſint omnes, unum eſt teſtamentum. Alius eſt caſus & multum diverſus leg. I. paragrapho VI. D. de bonor. poſſeſſ. quo duo codices non eodem exemplo ſcripti, ſed qui alios atq; alios hæredes habent, *ſimul ſignati* proponuntur. Non poſſunt itaque pro unis tabulis vel uno teſtamento haberi duo codices in quibus diverſi hæredes ſint ſcripti. Non enim ſimiles videri poſſunt duobus exẽplaribus vel binis tabulis quibus unum à domino teſtamentum confectũ eſt. Quippe iſtæ eodem exemplo ſcriptæ ſunt, quia eoſdem hæredes ſcriptos præferunt; at in illis duobus codicibus hæreditas diverſis relicta eſt, in uno Mævius eſt hæres, in altero Titius. Quid ergo facere poteſt ut duo codices non eodem exemplo ſcripti pro uno habeantur teſtamento? An quod uno eodemq; tempore ſignati ſunt, id eſt uno contextu? Atqui hoc etiam exigebatur in binis Tabulis quæ pariculæ erant, & eodem exemplo ſcriptæ, argumento leg. IV. D. Quæ in teſtamento. Ibi enim plures tabulæ unius teſtamenti, eodem exemplo ſcriptæ & eodem tempore completæ ſolemniter dicun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

cuntur. Atque ita opportuit, ſiquidem pro uno teſtamento eas teſtator haberi voluit, pariſque auctoritatis omnes & αὐθεντίας cenſeri; nonnullis quippe deperditis, deletis, aut ablatis ex loco publico ubi depoſitæ ſervabantur, reliquæ fidem faciunt, vel unæ ſi ſuperſint, & ex his poteſt peti bonorum poſſeſſio. His poſitis nunc rationem Iuris & mentem legis examinemus. In teſtamentis quæ ſcribuntur, ſcriptura ſola teſtatoris voluntatem ſignificat. Titius hæres mihi eſto, Mævius hæres mihi eſto; Si ita ſcriptum in Tabulis fuerit, hæres hic vel ille futurus eſt, & petet bonorum poſſeſſionem. Sed jure Romano, poſtquam jus prętorium civile & Imperatorium in unum coaluerunt, non potuit eſſe rata voluntas teſtatoris vel ſcripto mandata, niſi tabulæ à ſeptem teſtibus ſubſcriptæ & ſignatæ forent, leg. hac conſultiſſima Cod. de Teſtamentis. Ad ſcripturam quod attinet, interrumpi ſcriptio teſtamenti potuit variis intercidentibus caſibus & actibus, & nihilominus valere, ſi modo in ſubſcribendo & ſignando, nullus actus externus intermiſceretur, ſed in continenti ſubſcriptio & obſignatio celebraretur. In uno exemplari teſtamenti hoc obtinuit, ſi unicum tantum à teſtatore factum eſſet. Etiam in duobus exemplaribus cum binas tabulas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ejuſdem teſtamenti faciebat, etiam in pluribus, ſi plures illi facere collibitum eſſet, ut lex oſtendit jam ſupra citata IV. D. quæ in Teſtamento. Vno igitur eodemque tempore ſubſcribi & ſignari debuit teſtamentum ſive in uno ſive in pluribus Exemplaribus ſcriptum eſſet. Quid eſt uno eodemque tempore? Jam explicatum eſt, & lex Cod. XXI. de Teſtament. quam paulo ante citavimus, unius diei ſpatio id concludit, his verbis, *uno tempore eodemque die.* Hinc dies adſcribi ſolebat Teſtamentis & Conſul, non hora qua ſubſcriptum eſſet & ſignatum. Conſequenter autem & κατὰ τὸ ἑξῆς & duo & plura Exemplaria unius teſtamenti ſubſcribi & ſignari debuere haud ſecus atque unum, ut firmitatem haberent, id eſt nullo extraneo actu interveniente, ut eadem lex dicit. Cum ergo ordine & καὶ ἀκολουθίαν ſubſcriberentur & ſignarentur, ab iiſdem utpote teſtibus & iiſdem omnium ſigillis, neceſſe quidem fuit ut ex pluribus tabulis eodem exemplo ſcriptis, aliæ prius, aliæ poſterius tabulis eodem exemplo ſcriptis, aliæ prius, aliæ poſterius ſignarentur. Non enim ſimul omnes & eodem momento ſignari potuerunt. At cum eadem eſſet omnium ſcriptura & eadem nomina hæredum in omnibus continerentur, nihil omnino interfuit, quænam ex his

prior,

prior, quænam poſterior ſubſcripta foret & ſignata. Aliud omnino juris eſt ſi in duobus codicibus teſtamenti diverſi hæredes ſcripti inveniantur, multo magis ſi etiam diverſis temporibus uterque à teſtatore ſcriptus ſit. Aliam quippe habuiſſe voluntatem videtur teſtator cum hoc teſtamentum ſcriberet quam quum illud. An igitur ſatis erit, ut duo tales codices, ſive tabulæ tam diverſa ſcriptura exaratæ pro uno teſtamento valere videantur, ſi eodem tempore ſignentur? Nihil igitur ad rem pertinebit, utrum quis plures tabulas unius teſtamenti eodem exemplo ſcribat & eodem tempore, an diverſas & diverſis temporibus, quandoquidem ſufficiat, ſi eodem tempore ſignentur. Fruſtra itaque tot locis diſerte monent Iuriſconſulti duas aut plures teſtamenti tabulas, quæ pro uno teſtamento valituræ ſunt, eodē exemplo ſcriptas eſſe, ſi parum aut nihil retulit, & diverſo tempore omnes ſcriptas eſſe & diverſis hæredibus conſcriptas, dummodo uno eodemque tempore ſignatæ forent. Non aliter profecto unum teſtamentū pluribus codicibus aut exemplaribus fieri poteſt, niſi omnia eodem exemplo ſcripta ſunt. Nam quomodo poſſet conſiſtere quod paſſim traditur à Juris auctoribus, ſi in pluribus tabulis unum teſtamentum ſcriptum ſit & eodem tempore ſolemniter completum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

tum, id eſt ſubſcriptum & ſignatum, quibuſdam tabulis deletis aut ablatis, cæteras ratas manere & voluntatem teſtatoris declarare. Quid ſi enim illæ cæteræ tabulæ quæ ſuperſunt, alios atque alios hæredes habeant ſcriptos? An pro uno haberi eas jus erit teſtamento? Quomodo & illud valebit quod Juriſconſultus ſcripſit leg. x. D. Teſtamenta. *Si in duobus exemplaribus ſcriptum ſit teſtamentum, alterutro patefacto apertas tabulas eſſe?* Quid ſi in eo exemplari quod patefactum eſt, Sempronius ſit hæres, in eo quod adhuc clauſum manet, Mævius, an alterutro aperto tabulæ apertæ dici poſſunt, quæ in tantum diverſæ ſunt in hoc & in illo exemplari? Cur etiam Hiſtorici dum memorant teſtamenta à Principibus facta, diligenter meminere Tabularum eodem exemplo ſcriptarum, cum narrant in codicibus duobus unum teſtamentum factum, ſi nihil ad rem attinuit eodem exemplo ſcribi, quæ in duobus exemplaribus teſtamēta conderentur? Aliud igitur fuit quod Juriſconſultus reſpondit, duos codices ſimul ſignatos pro unis tabulis eſſe habendos, quam unum teſtamentum duobus codicibus factum. Hoc enim caſu duo codices eodem exemplo ſcripti & eodem tempore ſignati, duo ſunt exemplaria unius teſtamenti. At priore caſu non aliter duo codices variam teſtatoris

voluntatem declarantes & diverſis hæredibus ſcriptis, non poſſunt pro uno teſtamento haberi, niſi ſimul ſignati ſint. Quo ſenſu intelligendi ſunt duo codices ſimul ſignati? An eodem tempore? Atqui non aliud eſſet juris, ſi duo illi codices eodem exemplo ſcripti forent & iiſdem hæredibus. Simul igitur ſignati ſunt, ſimul colligati uno eodemque lino, & ſimul ſignati, id eſt iiſdem ſignis uni lino quo uterque codex conſtringebatur, impoſitis. Hæc ſola ratio potuit efficere ut diverſi codices, qui unius teſtamenti exemplaria non erant, ſed duarum differentium voluntatum tabulæ, pro unis acciperentur, ſi uno eodemque lino comprehenſi & iiſdem ſignis eſſent obſignati. Dicit Ulpianus leg. XXII. D. qui Teſtamenta, *ſignatas tabulas accipi oportere, & ſi linteo quo tabulæ involutæ ſunt, ſigna impreſſa fuerint.* Pone uno eodemque linteo duas tabulas teſtamenti ſimul involutas eſſe, & in alteris Titium, in alteris Mævium hæredem inſtitutum, ſigniſque illi linteo impreſſis ſignatas illas binas tabulas, nonne ſic dicentur duo codices ſimul ſignati? Nonne etiam pro uno teſtamento, quamvis alios hæredes ſcriptos contineant, eæ duæ tabulæ habebuntur? Eodem prorſus modo & in collatione Carthaginenſi intra unum ſabanum, quod idem eſt ac linteum, & codices tabularum

larum & volumen ſchedæ, obſignata memorantur, his verbis: *Marcellinus vir clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, ſuſceptæ Tabulæ ab Eccleſiaſtieu Notariis recitentur: Cumque intra ſabanum volumen ſchedæ membranarum pro parte deſcriptum, & codices tabularum pariter obſignati judiciariis offerrentur aſpectibus, Marcellinus Vir Clariſſimus Tribunus & notarius dixit, cuſtodes edicant ntrum ſigna cognoverint.* Ecce in eodem ſabano ſive linteo codices tabularum & volumen ſchedæ membranarum ſignis obſignata continentur, nimirum ſabano ipſi impreſſis, quo involutæ erant illæ ſchedæ cum codicibus. Quid ergo prohibet & duos codices teſtamenti uno linteo pariter involutos, aut etiam uno lino colligatos, ut frequentius factum, ſignari? Poſtquam cuſtodes agnoviſſent ſigilla ſua, tum codices illi aperti ſunt, lino inciſo & ſignis detractis, è ſabano evoluti. Petilianus Epiſc. ibi dicit, *ſic ſolere teſtamenta, non geſta, reſerari.* Pariter obſignatos codices & volumina intra ſabanum, dixere eodem ſenſu quo Juriſconſultus, duos codices *ſimul ſignatos*, id eſt eodem lino & cera obſignatos. Quid ſi hodie, mutata tabularum forma & chartæ alia materia, diverſo etiam ſubſcribendi & ſignandi more, alicui teſtatori placeat holographum teſtamentum duobus ſeparatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

chartæ foliis, ut vulgo vocant, ſeorſim facere, & quaſi duo teſtamenta diverſa condere, aliis atque aliis hæredibus ſcriptis in utroque folio. Quæ deinde ſub uno involucro clauſiſſet, ſignaculis obſignaſſet, vocatoque Tabellione publico cum duobus teſtibus, hoc teſtamentum clauſum ipſis oſtendiſſet & declaraſſet hanc ultimam eſſe ſuam voluntatem, poſt mortem ejus cum tale teſtamentum aperiretur, quid de eo cenſerent Doctores? Vtrum pro duobus teſtamentis ea acciperent, an pro uno? Olim quo jure uſi ſunt Romani ex Ulpiani ſententia, in hac lege quam explicamus, pro uno teſtamento acceptum foret. Eat nunc & dicat mentis febricitantis legulejus, duos codices diverſis hæredibus ſcriptos ſimul ſignatos eoſdem eſſe cum duobus exemplaribus unius teſtamenti eodem exemplo ſcriptis, & eodem tempore ſignatis. Quanta autem vis ſit veritatis, ut quæ etiam imprudentibus & invitis excidat, hoc loco planum fecit, cum hanc ſententiam ita clauſit; *Atque hactenus*, inquit, *de duobus codicibus aut exemplaribus ſimul ſignatis*. Bene eſt. Jam reſipuit & bonam mentem habere cœpit. Eam non habuit paulo ante, cum tanto hiatu contendit duos codices non eſſe duo exemplaria, & Salmaſium immaniter erraſſe, qui ita crediderit.

CAP.

CAP. XVI.

Non pro veſano nec pro furioſo ſcripſiſſe Salmaſium, Iuriſconſultos Neotericos neſciſſe quid eſſet teſtamentum ſignare, ſed vecordiæ, ſtupiditatis & ignorantiæ cum improbitate conjunctæ vitiis laborare eum qui hoc de illo auſus eſt ſcribere. Subſignare idem veteribus fuiſſe quod ſubſcribere. Signare & obſignare idem eſſe. Pauli locum de obſignandis ex Senatuſconſulto tabulis, cum forma ipſa obſignandi, non intellectam eſſe hodiernis Doctoribus.

TOgatus aſinus hîc etiam ſe togam ait componere, ut diſcere incipiat de Salmaſio, quid ſit teſtamentum ſignare; quod ille Juriſconſultos dixit à multis retro ſeculis ignoraſſe. Et ſane verum ille dixit. Quid contra molitur fori retritum rotabulum? *Salmaſium ſuo more tam perturbate & inordinate id docuiſſe, ut quid ſibi velit non ſit facile intelligere.* Imo tuo more impoſturas impoſturis connectis, & in hac ſerie mendaciorum iſtud tuum intextum impudentiſſimum eſt. Legatur vel ſola Synopſis cap. XI. Libri de modo Uſurarum, & patebit quam diſtincte & dilucide à Salmaſio explicata ſit ratio tabularum obſignandarum veteribus uſitata, & quam diverſo more ſignandi uſi fuerint ultimi Imperii homines, & quam differat hodierna ſubſignandi conſuetudo ab antiqua. An aliquid adfers quo ſententiam Salmaſii evertas? Unum hoc certe hîc facis,

vere ingenue fateris te eſſe ingenii tardioris. Quod in te miror hoc ſingulare eſt, te tam bardum eſſe ſimul & improbum. Notavit Salmaſius p. CCCCXVI. ſolitos recentiores in teſtamentis aliiſque authenticis litteris quas conſcribebant ſua manu, ſive per Tabelliones publicos, non tantum eas ſubſcribere, ſed etiam ut vocabant *ſignare*, hoc eſt, affixæ in imo ceræ juxta ſubſcriptionem ſignum ſuum imprimere. Hæc ipſa verba Salmaſii refers, nec ea refellis, non enim poteras. Quo igitur fine ea retuliſti? Dicis deinde, eundem dicere, *ſubſignare acceptum pro ſubſcribere, & verbum hoc reponi jubere multis locis, ubi legitur ſignare.* Non bona fide hæc recitas, quamvis ne ſic quidem ea refutare conatus ſis. Scripſit enim ea pagina quam notaſti, Salmaſius, *ſignum etiam pro ſubſcriptione recentioribus uſurpatum fuiſſe.* Sic ſane & hodie paſſim in idiotiſmo noſtro ſumitur, & aliis Europæis populis, ut Anglis, Belgis, Germanis, Italis aliiſque. Veteribus quoque in uſu fuiſſe ſubſignare pro ſubſcribere: *& hanc cauſam eſſe ſe putare cur noſtri ſeculi homines minus advertiſſe videantur, qualis veterum ſignatio fuerit, longe ab hac inferiore ævo uſitata differens.* Quid in his inveniſti quod minus verum eſſe tibi videri potuerit? Nihil, non enim tacuiſſes. Qua mente igitur aut quo conſilio hæc verba ejus allegaſti, niſi ut te riden-

ridendum propinares communi ſenſu præditis lectoribus? Mox ſubjungis, *poſt longas tamen ambages* Salmaſius *tandem* p. 448. *aliud myſterium revelare incipit*, dum ait *ſignare* eſſe idem quod obſignare, *& nihil aliud eſſe quam annulo claudere*. An hoc myſterium eſt? An ea loca quæ in ea pagina Salmaſius attulit aliud indicant ac docent? Cur non contrarium oſtendiſti? An non *ſignare* idem quod *obſignare*? quaſi vero *ligare* non idem ſit quod *obligare*, *cludere* quod occludere, firmare quod obfirmare? An ignoraſti *ſignatas tabulas* & *obſignatas* eaſdem eſſe? Juvenalis: *Signatæ Tabulæ, dictum feliciter*. Paſſim apud auctores eædem *obſignatæ* dicuntur, unde & *obſignatis tabulis cum aliquo agere*. Quod tui Juriſconſulti, quid eſſet, adeo ignorarunt, ut docuerint id accipiendum *de pactionibus in tabulas relatis*. Alius conſarcinator Lexici Juridic. notavit, *obſignare tabulas*, *idem eſſe quod teſtari*, *id eſt de quocunque negotio tabulas, quæ ad probationem valeant*, *conficere*. Quod eſt ineptum. Tabulæ certe obſignatæ ad probationem cujuſcunque rei conficiebantur, quæ nihil ad hoc valebant niſi obſignatæ, id eſt ſignatæ, & lino circumvoluto clauſæ, ſigniſque impreſſis ſigillatæ. Teſtimonia auctorum quæ adferunt hoc ipſum probant, non id quod volunt *obſignare* eſſe teſtari, vel tabulas conficere. Cicero in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Quintiana: *Ejus rei conditioniſque tabellam obſignaverunt viri boni complures, res in dubium venire non poteſt.* An negabis hîc tabellas obſignatas à compluribus viris bonis eaſdem eſſe cum ſignatis, id eſt lino obligatis cum ſignorum impreſſione? Adeo verum eſt non ſignatas olim fuiſſe tabulas ſine lino, ut in Inſtitutis mentio fiat, pupillarium tabularum *proprio lino propriaque cera ſignatarum.* Numquam igitur linum in obſignando ſine cera fuit, nec cera, hoc eſt ſignum in cera, ſine lino. Idem Cicero Actione VII. in Verrem. *Ipſe in tabellam refert, obſignat ſignis amicorum providens homo.* Et tamen hæc loca adferuntur ab eo Lexicographo Juriſta ut doceat, *obſignare tabulas* nihil aliud eſſe, quam conficere tabulas ad probationem cujuſcunque rei, & teſtari. An ridere voluiſti cum adnotaſti, myſterium eſſe novum à Salmaſio revelatum, quo dixit *ſignare* idem eſſe quod *obſignare?* An ideo hæc à te objecta ſunt quaſi tanti non eſſet, rem quæ nemini eſſet incognita docere velle quaſi ignotam? At vides ex his quæ hîc retuli, neſciviſſe tui ſimiles Doctores, *obſignare tabellas* idem eſſe quod *ſignare?* Præterea eo loco Salmaſius notavit in pleriſque auctorum locis quæ ibi citavit, annulo res & utenſilia claudere, nihil aliud eſſe quam obſignare & ſignare. Imo hoc ſenſu *ſignare* & *obſignare*
idem

idem eſſe, quod annulo claudere. Habes aliquid quod opponas, & contrarium his obſervationibus obgannias? Nihil dicis. Tace ergo æternum. Tu tamen, inferius Num. XXI. docere nos contendis *obſignare* diverſum eſſe à *ſignare* & aliud ſignificare. Sed ad eum locum docebimus quam ſtultus Doctor ſis, & quod non melior ſis Grammaticus quam Legicrepa. Paulo poſt ea deblateras quæ tacita forent meliora. Salmaſium p. 452. docere dicis videri, *annulo claudere eſſe lino quo circumvolutæ erant tabulæ, ſigna teſtium imponere.* Non docere hoc videtur, ſed plane docet aperteque. Si aliquid in ſcrinio pectoris habuiſti, aut in tuis Adverſariis reconditum, quo poſſes contrarium adſtruere, cur non deprompſiſti? Potis es facere ut ſciamus an aliter claudi ſolitæ fuerint apud antiquos tabulæ quam hoc modo, qui à Salmaſio ibi exponitur? Certe aliter lagena annulo claudebatur, aliter liber, utrumque tamen *ſignari* & *obſignari* & claudi annulo dicebatur. *Omnia hæc*, inquis, *ab eo ita confuſe tractantur ut lectores identidem hærere oporteat nec quid doctor ſuus docere ſe velit*, *ſcire.* Ita ipſe ſoles mentiri & imponere lectori tuo in omnibus, ut neſciat quid tibi credi debeat & quando. Si hæc confuſe perſequutus eſt Salmaſius, cur non tu diſtinctius & explicatius ea propoſuiſti? Cur noluiſti nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſcire, quod Salmaſius neſcire nos voluit pro illa ſua ſcribendi confuſa & inordinata ratione? Docuit ille *ſignare* & *obſignare tabulas* nihil aliud eſſe quam *lino obligare* & ſigilla ſupra linum imprimere. An potuit apertius & clarius? Hoc ipſum tamen tam clarum & apertum & obvium, tam vere quam fidenter dixit Salmaſius, Cuiacium, Hotomannum & Gothofredum atque omnes alios, non ſolum hujus ætatis, ſed quorumdam etiam retro ſeculorum Juriſconſultos ignoraſſe. An putas te ipſum qui doctores illos habere potuiſti, & per te quod alii non reperiſſent invenire, te aliquando ſciviſſe aut nunc etiam ſcire quid ſit *obſignare* vel *ſignare* tabulas teſtamenti, & quomodo ſignata apud antiquos vulgo fuerint teſtamenta? Certe ſi hoc putas, falleris, & ſanus ipſe non es. Nam in ſequentibus plane oſtendis antiqui hujus moris te imperitiſſimum eſſe, nec magis tenere quæ ratio veteribus in ſignandis tabulis obſervata fuerit, quam quid apud Sinas aut Tartaros in eadem re ſolitum ſit hodie fieri. Magnum das hujus tuæ ignorantiæ ſpecimen in hac ipſa ſectione, cum ſtatim pro clauſula adjicis hæc verba. *Cui non eſt decantatus hic Pauli locus è lib.* v. *Sententiarum cap.* XXV. Verba ipſa deinde Pauli ſubjeciſti, quæ nota certe ſunt. Sed quamvis ita impudens ſis ut nemo magis,

gis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

gis, tantum tamen tibi fiduciæ ſupereſſe non putem, ut auſis dicere ea à te aut ab alio quoquam tuorum Doctorum recte hactenus intellecta fuiſſe. Si hoc dicis, convincam te mendacii ex tua & illorum interpretatione, à quibus decantatum jactas, quam & recantare omnimodo neceſſe cum illis habebis, cum te & illos in eo exponendo halucinatos egregie probavero. Primum de *lino triplici* quo conſtringi tabulas voluere patres illo Senatuſconſulto, an capis quid ibi ſit *linum*? Certe Gothofredus quem tanti facis ut etiam errores ejus defendere velis, *linum* quo tabulæ teſtamenti obligabantur pro linteo accipit. Potes ipſe docere quid ſit? Neſciſſe te id fateris cum tres chordulas eſſe tibi cum Durando placet, qui pravo ſpeculo in his diſpiciendis uſus eſt. Tu deinde ex eodem Durando tabulas quæ ſic conſtringi triplici lino debuere, de charta complicata accipis, quæ tabulæ ex ligno fuere ceratæ. Chartam complicatam etiam alii ſomniarunt, ut Duarenus & multi qui Durandum ſequuntur. Charta tamen Durandi membrana eſt, quia *chartas* in idiomate noſtro vocamus omnes litteras publicas. Et hoc inſcitum eſt. Si de vera charta accipiant quam *papyrum* vulgo dicimus, non minus errarunt. Nam quamvis chartam habuerint veteres, non tamen no-
ſtram

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſtram noviſſe certum eſt, ut nec nos eam qua uſi ſunt. Iſta charta veterum, ut jam dictum eſt, non complicabatur, ſed convolvebatur, ut infra pluribus demonſtrabitur. Non aliis autem fere tabulis teſtamenta ſcribebantur eo tempore quo illud Senatuſconſultum factum eſt quam ceratis. Unde illa in teſtamentis *prima cera* & *ſecunda cera*, pro prima & ſecunda tabula cerata. Locus etiam Suetonii in Nerone indicat de ceratis tabulis eſſe accipiendum hoc S.C. cum ſcribit, *Cautum fuiſſe ut in teſtamentis primæ duæ ceræ, teſtatorum modo nomine inſcriptæ vacuæ ſignaturis oſtendantur.* Quæ Salmaſius in libro de Uſuris cap. XI. explicavit. Sed & in hoc ipſo loco Pauli quem adſcripſiſti, verba Senatuſconſulti non de aliis tabulis quam ceratis eſſe intelligenda teſtantur, cum in eo ſancitum eſt, ut *impoſitæ ſupra linum ceræ ſigna imprimantur, ut exteriores fidem interioribus ſervent.* Exteriores ceræ ſunt ſigilla vel ſigna ex cera, quæ fidem ſervant interioribus ceris quibus paginæ oblitæ & in quibus ſcriptura teſtamenti exarata. Maleferiati correctores vocem *ſcripturæ* interjecerunt, legentes, *ut exteriores ſcripturæ fidem interiori ſervent.* Quod ſi potes mihi explicare, tunc faciam ut pro Juriſconſulto tanto habearis quantus haberi vis. Præterea cum velit Senatuſconſultum, impoſitas ſupra linum

num quo conſtrictæ erant tabulæ ceras imprimi, tu vero vis cum Durando ſigilla ad unam ex chordulis appendi. Denique cum unicum foramen in tabulis ligneis fieri caverint Patres, per quod triplex linum trajiciatur ad obligandum teſtamentum, quia Durandus tria foramina in charta teſtamẽti facienda præſcripſit, ſequi eum potius, quam Salmaſium dignatus es, quia judicio tuo luculenter ſcribendorum, ſubſcribendorum & ſignandorum teſtamentorum antiquam formam deſcripſit. Nos quam hoc verum ſit paulo poſt docebimus & barbari hominis ineptias & inſcitiam quæ ad tuum guſtum fuere, depalabimus. Ex his ſane quæ jam poſuimus conſtare poteſt, utrum Salmaſius an tu inſanias, qui ſanum eum non eſſe pronuntiaſti, quia dixerit Doctoribus tuis hæc penitus fuiſſe ignorata. Nec cauſam dico quin ille deſipiat & tu ſapias, ſi aliud potes docere.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

CAP. XVII.

Stultum eſſe quod notat Heraldus, ſignis & annulis non minus creditum olim quam manui in ſcribendis Epiſtolis. De more ſignandarum epiſtolarum qui idem fuit quo tabulæ publicæ ſignabantur. Vnicum ſignum in Epiſtolis additum, cum ſeptem requiri ſolerent in teſtamentis. Quid differant ſigna ab annulis, & ſignacula à ſigillis. Plures errores & ἀλογίαι Heraldi animadverſæ. Numquam clauſiſſe veteres ſuas epiſtolas ſine ſigno. Inciſo vel ſoluto lino ſigna detrahi ſolita, non avelli antequam linum rumperetur. Alia multa eodem pertinentia obſervata.

A Teſtamentis ſignatis, quæ publici juris fuere ſcripturæ, tranſis ad privatas, id eſt Epiſtolas, quomodo eæ olim ab antiquis Romanis obſignari ſolitæ fuerint. In quo non minus inſcitiæ prodis quã in teſtamentorum ſignaculis aperiendis. Videris aliquot auctorum loca in Adverſariis tuis habuiſſe, quæ noluiſti perdere, quamvis vulgaria ſint & jam ab aliis notata. Ex illis tamen nihil explicas, ſed ſola teſtimonia citaſſe contentus de modo ſignandi idem quod mutus aliquis dicis. Sed nec videris animadvertiſſe eodem prorſus modo Epiſtolarum Codicillos olim ſignari vel obſignari ſolitos ut Codices teſtamentorum. Lino nempe obligabantur & impoſitæ ſupra linum ceræ ſigilla imprimebantur annulo. Sed in Epi-

ſtolis

ſtolis unum ſignum tantum imponebatur ex annulo illius qui ſcribebat, in teſtamentis ſeptem, quia totidem teſtes ea ſuis annulis ſignare debuerunt. Unico lino obligabantur Epiſtolares codicilli, olim quoque unicum linum obligandis teſtamentis ſufficiebat, antequam contra Falſarios cautum eſſet S.C. ut foramen in ſumma margine Tabularum teſtamenti media parte fieret; per quod triplex linum traheretur quo firmius obligarentur tabulæ & difficilius linum amoveretur aut rumperetur. Non enim æq; facile triplex linum rumpi potuit ut ſimplex, & per foramen trina lina trajecta dimoveri haud æque poterant ac ſi ſimpliciter tabulis eſſent circumjecta. Nunc videamus quid de Epiſtolis ſignandis novi afferas & quam reconditas obſervationes ex penu tuorum Adverſariorum nobis promas. *Signis*, inquis, *& annulis non minus credebant olim quam manui, maxime in privatis ſcriptis, velut in Epiſtolis.* Cur hîc *annulos* & *ſigna* ſimul nominas? An ſigna alia ſunt quam quæ annulus impreſſit? Quod ad ipſam rem ſpectat, docte hoc à te obſervatum & mire. Nemo hoc ante te ſcivit. Sed quod dicis maxime in privatis ſcriptis non minus creditum ſignis quam manui, an non idem in publicis? Quid dices de teſtamentis? An non teſtamenti factio juris eſt publici

blici potius quam privati? Ita lex ſuadet III. D. Qui teſtamenta. Ergo in publicis ea ſcriptis reponenda non in privatis. An neſcis plus in his faciendis credi olim ſolitum ſignis quam manui? Non enim neceſſe erat ſcriptum eſſe teſtamentum manu teſtatoris, cum ſæpe & libertorum manu uterentur & amicorum & aliorum ad ea ſcribenda uterentur, ſed niſi ſignata ſeptem teſtium ſignis, non valebant. Hæc omitto. *Signis & annulis non minus credebant quam manui.* Quid hoc eſt, ſignis & annulis? An ſimul nominaſti ut diſtingueres? Quomodo ergo differunt annuli & ſigna? Si eadem putaſti, quid opus utrumque poſuiſſe? Legiſtine uſpiam *annulis & ſignis* teſtamenta vel epiſtolas vel quippiam aliud eorum quæ obſignarentur, clauſa vel ſignata memorari? Et ſane veteres *annulo* claudi dicunt quæ obſignantur, non ſignis claudi. Nam annulus eſt inſtrumentum claudendi ut clavis, quamvis alio modo id faciat. *Signis* tamen *ſignatas tabulas* vel *obſignatas* Cicero & Juriſconſulti dicunt: Sed non *ſignis* & *annulis* ſignatas. Ego etiam hîc te docebo annulos & ſigna differre, quod annulus unus plura ſigna poſſit facere. Nonne in teſtamentis obſignandis ſeptem ſigna, quot teſtes ſignando adhibentur, fieri debent ut valida ſint? At uno annulo illa ſeptem ſigna poſſunt

poſſunt fieri: Nam & qui ſola Inſtituta juris legerunt non ignorant vel ſeptem teſtes uno annulo ſignare poſſe teſtamentum. Atqui ſeptem ſigna debent eſſe in teſtamento ſignato, quæ ab uno fieri poſſunt annulo. Cur igitur hic *ſigna* & *annulos* nominas ὕστερον πρότερον, cum potius eſſet dicendum, annulis & ſignis? *Signum* quippe proprie eſt in cera expreſſio, quam annuli impreſſio facit, τὸ ἔκμαγμα, τὸ ἔκτυπον. Signum quidem etiam dici poteſt ipſius annuli character impreſſus, id eſt excavatus in gemma, qui dum ceræ imprimitur, aliud ſignum efficit non excavatum, ſed extans, ſed Latini Juris conſulti *ſigni* voce proprie uſi ſunt non pro annuli charactere, ſed pro cereo ectypo, quod impreſſus ceræ annulus expreſſit. Hinc ſeptem *ſigna* unius annuli opus in teſtamento ſignando cum vel centum vel mille & infinita effingi poſſint eodem charactere. Scite hæc duo diſtinxit Ulpianus leg. XXII. D. Qui teſtamenta. Ubi *ſignum* appellat quod annulo fit impreſſo ceræ, χαρακτῆρα vero τύπον annuli quo ſignum in cera exprimitur. *Signum*, inquit, *utrum annulo tantum impreſſum adhibeatur, an vero & ſi non annulo, verum alio quo impreſſo, varie enim homines ſignant.* Ibidem & χαρακτῆρα annuli vocat, ut à ſigno diverſum id quo ſignum fit. Nam χαρακτὴρ annuli eſt qui

imprimitur, *ſignum* certe eſt quod impreſſo annulo in cera exprimitur. Ἐκτύπωμα hoc & σημεῖον Græcis vocatur, illud *ſignaculum* Latinis, & Græcis σφραγιστήριον & σήμαντρον. Nam σήμαντρον eſt ſignaculum, σημεῖον vero ſignum. Sed & *ſigillum* idem quod *ſignum*. Vox Græca σφραγὶς tam pro gemma quæ ſignat accipitur, quam pro ſigno quod in cera exprimitur. Hæc obiter adnotare placuit ut conſtaret quam ſtulte ac inſcite dixeris, *ſignis & annulis non minus credi quam manui*. De vocibus non diſputemus, rem ipſam videamus. Si amicus ſua manu ad me ſcripſit & annulo alieno epiſtolam ſignavit, an minus ei credam vel non magis quam ſi epiſtola aliena manu ſcripta eſſet ſed ipſius annulo ſignata? Imo multo majorem fidem ipſius manui habebo, quamvis ſigillum videam alienum, quam ſi aliena manu ſcriptam eam epiſtolam acciperem quæ annulo ejus eſſet ſignata. Potuit quippe aliquis qui annulũ ejus furatus ſit, mihi fucum facere. Non ita facile chirographũ impoſtor imitari poterit. Falſum ergo quod ais non minus antiquos crediďiſſe ſignis & annulis quam manui. Nullo enim argumento vel exemplo id probas, & veriſimile eſt in talibus veteres non aliam, quam nunc habemus, mentem habuiſſe, cum ſenſus communis id doceat. Sequitur in eodem loco maximi momenti

menti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

menti obſervatio & rara. *Epiſtolas*, inquis, *librarii manu quandoque ſcribebant, quandoque ſua.* Vnde nobis advenis? aut quibus ex oris attuliſti hanc tam pretioſam mercem? Hoc valde reconditum, atque, ut verba tua tibi reddam, myſterium eſt, quod hoc demum tempore per te revelatum nobis oſtenditur: *Antiqui Epiſtolas librarii manu quandoq; ſcribebant, quandoque ſua.* Hoc etiam hodieque facimus. Fortaſſe à nobis exemplum quod imitarentur acceperunt illi veteres Romani. Cum ſua manu non ſcribebant Epiſtolas, ſcilicet eas dictabant. Quando? Cum aut lippitudine ipſi impediebantur ſcribere aut chiragra, aut alio quo corporis incommodo. Quibus? nempe amanuenſibus ſuis, quos & ſcribas *à manu* vel *ad manũ* vocabant, vel unica voce *Amanuenſes*. Hoc enim hi fuere privatis quod ſcribæ ab Epiſtolis vel magiſtri Epiſtolarum Cæſaribus. Tu vero dicis Epiſtolas eos ſcripſiſſe librarii manu. Quod idẽ eſt ac ſi quis nunc diceret aliquẽ typographi manum vel operam adhibere ad litteras ſcribendas. Nam librarii olim idem munus habuere ad ſcribendos libros qui publicarẽtur & divenderentur. Cicero ad Attic. Ep. xxxix. l. xii. *Itaq; miſi librum ad Muſcam ut tuis librariis daret, volo enim divulgari.* Nihil notius. Tu vero tam hoſpes es in rebus & earum antiquitate, ut *librarios* neſcias diſtinguere ab *amanuen-*

ſibus. Sane aliquando & librariorum opera utebantur ad ſcribendas epiſtolas, non tamen iidem librarii cum amanuenſibus. Pergis nova nobis & miracula & myſteria quæ hactenus in operto latuerant, miris modis pandere. *Si manu ſua*, inquis, *non ſcribebant, ſaltem annulo ſuo & ſigno obſignabant, niſi apertas mitterent, aut alieno annulo, vel etiam ſine ſigno clauſas.* In paucis verbis multa millia errorum & inſcitiarum. *Si manu ſua non ſcribebant, ſaltem annulo ſuo & ſigno obſignabant.* Quaſi vero hoc neceſſarium foret & ſemper id ſervarint, ut niſi ſua manu ſcriberent litteras annulo ſuo obſignarent. Imo quas ἰδιοχείρως ſcripſerant, etiam eas ſuo annulo fere ſemper obſignare conſueverant, niſi apud amicum eſſent, aut annulum ſuum ad manum non haberent, aut in illo forte tempore quo ſignanda erat epiſtola, amiſiſſent. Multi enim caſus fingi poſſent quibus quis annulo ſuo epiſtolas à ſe ſcriptas non ſignet, ſed alieno, aut etiam alia re, ſi modo χαρακτῆρα habeat ad ſignum imprimendum. Cicero in Epiſt. ad Atticum xx lib. II. *Neque utar meo chirographo neque ſigno, ſi modo erunt ejuſmodi litteræ quas in alienum incidere nolim.* Quod etiam hodie facere ſolemus, nam neque noſtra manu ſcribimus, neque noſtro ſigno obſignamus litteras, quas ſi in alienam manum inciderint, noſtras

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

noſtras videri nolimus. Frequentius tamen veteres, ut & nos quoque facimus, ſigno ſuo utebantur in obſignandis litteris quam chirographo in ſcribendis. Nam ſi quas manu ſua ſcribere præpediti fuiſſent aliqua de cauſa, eas tamen annulo ſuo ſignabant. Ut ecce dicit Cicero ad Attic. lib. II. Epiſt. XXII. *Numquam ante arbitror te epiſtolam meam legiſſe niſi mea manu ſcriptam.* Eam ipſam cur non ſcripſerit ſua manu, cauſam affert, cum tamen ſuo ſigno uſus ſit in obſignanda. Falſum igitur illud quod ſic abſolute à te ponitur, *Si manu ſua non ſcribebant, ſaltem annulo ſuo obſignabant.* Dic potius ut verius ſit, etſi ſua manu ſcriberent epiſtolas, annulo ſuo tamen eas quoque obſignabant. Sed quid tibi voluiſti cum hic etiam annulum cum ſigno junctim poneres? *Saltem annulo ſuo & ſigno obſignabant.* Non temere certe nec fortuito etiam paulo ante dixeras, *ſignis & annulis non minus credidiſſe veteres quam manui.* Quem veterum ſic loquutum oſtendes, *Epiſtolam annulo & ſigno obſignatam?* Ego vero putaſſem annulo ideo obſignari litteras, quia ſignum in cera per annulum fieret. Tu autem videris annulum & ſignum pro eodem habere. Et profecto ita eſt. Et Durandum tuum hac in parte etiam ſequeris, hominem ut Juris practici peritum, barbarum tamen & omnis humanioris litteraturæ &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

antiquioris juris omnino inſcium. Is igitu
in bene longa obſervatione quam Sect. xx
totam ad longum recitaſti, ut inde nobi
formam vetuſtam ſignandi teſtamenti reſi-
gnares & aperires, annulum pro ſigno po
ſuit, & cum ſigillo junxit, quod idem eſt a
ſignum. Ita enim barbarus homo inſcit
& inepte ſcripſit: *Debebit unus quiſque ipſorun
teſtium annulum vel ſigillum characteratum a
unam ex chordulis appendere, ſive ſuum ſive al-
terius teſtis, ſi ſuum non habet.* Quid hîc vi-
deo? Singuli teſtes annulum ſuum appen-
dere uni ex tribus chordulis, aut ſi ſuum
non haberet, alterius teſtis? Quomodo id
fieri poteſt? Nam ſi quis alterius annulum
appenderit, ille alter non amplius ipſe ha-
bebit quem poſſit appendere, cum jam ap-
penſus ab alio in chordula relictus ſit. Non
annulus, ô bellua, ſed annuli ſignum appen-
ditur ex cera factum, & annuli imagine vel
charactere impreſſum. Ab eo igitur habes,
ô inſanum ſinciput, quod hîc poſuiſti, an-
nulo ſuo & ſigno Epiſtolas priſcos Roma-
nos obſignaſſe. Annulo illi obſignarunt, non
annulo & ſigno. Signo tamen ſignatas etiam
dicere liceat, ſed non ſigno & annulo. Si-
gnum annuli eſt quod annulus fecit. Annu-
lus ſignat, id eſt ſignum facit. At ille tuus
Durandus, rus merum mihi, tibi vero jus
merum, *annulum* uſurpavit pro ſigillo, quam
inſci-

inſcitiam tibi impreſſit, & tu ab illo expreſſam hic duobus locis oſtendiſti. Jam quale illud eſt, quod hoc etiam loco exhibes? *Epiſtolam obſignatam, niſi apertam mitterent.* Acute, ingenioſe, vere, nihil ſupra. Clauſas mittebant epiſtolas illi caſci Romani niſi apertas vellent mittere. Et quis vellet; dic ô Marrucine? An putas ſuas Epiſtolas tunc temporis hominibus apertas mitti magis placuiſſe, quam nunc noſtris? Addis quod non minus mirificum eſt, & magis etiam falſum, *aut alieno annulo, vel etiam ſine ſigno clauſas.* Unde didiciſti veteribus aliquando receptum uſu fuiſſe, ut litteras mitterent ſine ſigno clauſas? cur non etiam nos docere inſtituiſti quomodo illæ claudi ſolerent ſine ſigno, aut quando? An locus Ciceronis quem continuo ſubjeciſti id ſignificat? Nihil minus. Verba hæc ejus ſunt ex Epiſt. XI. lib. II. ad Attic. *Quibus tibi videtur velim des litteras meo nomine. Signum requirent aut manum? dices eis me propter cuſtodias ea vitaſſe.* Apparet hæc citaſſe ab aliquo, non ipſum legiſſe. Hæc enim extant lib. XI. Epiſt. II. Præterea omiſit quod præcipuum eſt, *noſti meos familiares, ſignum requirent, aut manum?* Cicero petit ab Attico, ut ſuo nomine ad quos velit ex ipſius familiaribus qui ei noti erant, litteras daret. Signum inquit, requirent meum aut manum, quia ni-

mirum tu eas tuo annulo obſignabis, & tua manu vel amanuenſis tui ſcribes. Si cauſam ejus rei quærent, dicito eis me propter cuſtodias ea vitaſſe. An ex his poteſt colligi, litteras aliquas ſine ſigno claudi tunc ſolitas? Tuæ mentis non eras cum hæc ſcriberes. Immo tuæ; non enim melior tibi umquam fuit. Locus Plauti è Trinummo non id magis evincit, in his verſibus:

Sed Epiſtolas quando obſignatas afferet,
Siquidem obſignatas attulerit epiſtolas,
Nonne arbitraris eum adoleſcentem annuli
Paterni ſignum noviſſe. ME. Etiam tu taces?
Sexcentæ ad eam rem cauſæ poſſunt colligi.
Eum quem habuit perdidit, alium poſt fecit novum.
Iam ſi obſignatas non feret, dici hoc poteſt:
Apud portitores eas reſignatas ſibi,
Inſpectaſque eſſe.

Aliquas tunc litteras ſine ſigno, id eſt non ſignatas, & tamen clauſas miſſas fuiſſe qui conjiciat, pro conjectore qui ſenſu communi plane careret, eum prorſus haberi oporteat. Immo vel contrarium omnino inde conjectari licet, nullas mitti ſolitas quæ non eſſent obſignatæ, id eſt annulo clauſæ. Si, inquit, obſignatas attulerit epiſtolas, nonne ſignum paterni annuli filius novit? Alieno igitur annulo ſignatas facile cognoſcet à patre non venire. Reſpondet alter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſexcentas poſſe cauſas colligi, cur eas litteras pater ſuo annulo non ſignaverit. Eum quem habuit potuit amiſiſſe, poſtea alium novum faciendum curaſſe. Jam vero ſi obſignatas, inquit, non ferat, dici poteſt apud portitores reſignatas eſſe & inſpectas. Hæc plane probant nullas privatorum epiſtolas nautis aut tabellariis datas fuiſſe, quin obſignatę eſſent, id eſt annulo clauſæ, ceræ impreſſo ſupra linum impoſitæ quo epiſtola conſtringebatur. Citatis illis Plauti verſibus ſtatim ſubnectis: *Nota hic obiter*, apud portitores eas reſignatas, *cum enim reſignarentur & aperirentur inciſo lino, ſignum avellebatur ut nullum poſtea patereſſet.* Hæc tua adnotatio nullius eſt momenti. Nec enim verum eſt inciſo lino, ſignum ſemper avulſum fuiſſe cum aperirentur & reſignarentur codicilli epiſtolarum, aut codices teſtamentarii, aut aliæ quælibet tabulæ. Eo ipſo fateris te numquam aſſequutum fuiſſe, quomodo tabulæ omnis generis obſignari ſolerent. Lino per medium conſtringebantur & colligabantur, ut hodie faſciculos litterarum aut librorum grandiores obligamus. Supra linum cera infigebatur, eique ceræ annulo impreſſo ſignum effingebatur. Quod etiam hoc tempore fieri ſolet. Non igitur opus erat ſignum avellere ut aperirentur tabulæ. Quinimo ſigno avulſo, nihilominus ſolo lino

 con-

conſtrictæ adhuc tenebantur, nec aliter poterant aperiri niſi inciſo lino vel rupto vel ſoluto. Incidebatur igitur linum, & ſic aperiebantur tabulæ, ſalvo interim ſigno quod lino adfixum interdum manebat, interdum excidebat, vel turbatum loco movebatur, vel etiam rumpebatur. Hinc *turbata ſigna* legimus in leg. XXII. D. qui teſtamenta. *Si ſigna turbata ſunt ab ipſo teſtatore, non videtur ſignatum.* De lini inciſione idem pronunciarunt, *lino inciſo* à teſtatore pro non ſignatis haberi tabulas teſtamenti. Hoc *incidere tabulas* dixit Papinianus, pro tabularum linum incidere lib. VII. D. Quæ in teſtamento. *Paulus notat, ſed ſi ut inteſtatus moreretur, incidit tabulas & hoc adprobaverint hi qui ab inteſtato venire deſiderant, ſcriptis avocabitur hæreditas.* Hæc igitur diverſa erant, *linum incidere* & *ſigna turbare*, cum & ſigna turbari poſſent non inciſo lino, & incidi linum non turbatis ſignis. Alterutrum ſatis erat teſtamento rumpendo, & hæreditati ſcriptis hæredibus auferendæ. Non enim ſignatum cenſebatur cujus ſigna turbaverat ipſe teſtator, aut linum inciderat. *Ceræ turbatæ* meminit Quintilianus, quod idem eſt ac ſignum turbatum. *Ceram turbatam, ſigna ſine agnitore invenies.* In tabulis igitur & codicibus obſignatis, incidi vel rumpi vel ſolvi linum oportuit ut reſignarentur & aperirentur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

rentur, non ſigillum avelli. Quod in his tantum rebus obtinuit quæ ſine lino ſignarentur, ut Salmaſius docuit cap. XI. de modis uſurarum, pag. CCCCLII. Ut probet ſignum avelli ſolitum in aperiendis Epiſtolis ut nullum poſtea ſupereſſet, verba citat ex Ciceronis Philippica II. ubi de litteris agit quas Antonius à Cicerone ad ſe miſſas publice recitaverat. *Sed quid opponam tandem, ſi negem me umquam iſtas litteras ad te miſiſſe? Quo me teſte convinces? An chirographo? In quo habes ſcientiam quæſtuoſam. qui poßis? ſunt enim librarii manu.* De ſigno, inquis, nihil dicit Cicero, *quia cum eæ reſignatæ fuerant & apertæ, ſignum fuerat avulſum.* Nonne hæc ſunt ridicula & ab homine prorſus delirante profecta, vel uſum ſuæ rationis non habente? Reſignatæ illæ litteræ fuerant & lino ſoluto, ſignum detractum deperierat. Ergo de ſigno nihil dicit. Sed à quo reſignatæ fuerant? Nonne ab ipſo Antonio? Nonne ita eas potuit aperire ut ſignum integrum ſervaret, ex quo poſſet arguere à Cicerone eas ſibi miſſas, cujus illud ſignum eſſet? De ſigno certe nihil dixit, quia non magnum inde argumentum tunc duci ſolebat ad auctorem Epiſtolæ convincendum. Varie enim ſignabant veteres nec ſemper eodem annulo, nec ſemper ſuo, ut etiam hodieque facimus. Si in teſtamentis ſignandis in qui-

bus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

bus major ſollemnitas requirebatur, quam in privatis ſcriptis & epiſtolis, non exigebatur à teſtibus ut ſuo annulo ſignarent, quia & omnes poterant uno annulo eoq; ab ipſo etiam teſtatore accepto, ſignare; quanto magis ad Epiſtolarum fidem ſupervacuum erat annuli ſignum deſiderare? Ideo ſane de ſolo chirographo dicit Cicero potuiſſe probare Antonium eas Ciceronis fuiſſe litteras quas publicè recitaverat. Sed ne id quidem tum potuit allegare Antonius, cum librarii ſui manu eas ſcripſiſſe ſe aſſerat, non ſua. Cum & librarios haberent antiqui & amanuenſes & notarios; Librarios non ſæpe adhibebant niſi ad libros ſcribendos quos divulgari volebant. Si tamen ad manum non eſſet Amanuenſis, interdum librariorum opera ad hoc utebantur, ut tum fecit Cicero. Hoc fefellit Advocatum, qui tanquam tralaticium hoc accepit, quod veteres librariorum manu ſuas epiſtolas ſcripſerint. Ex eo autem Ciceronis loco conſtat chirographo longe magis quam annulo credidiſſe veteres, cum tamen velit Heraldus annulis & ſignis non minorem fidem olim habuiſſe quam manui. Quod eſt falſiſſimum. Nihil autem tam bene dictum unquã eſt à Salmaſio, quin inde maledicti contra eum jaciendi cauſam arripuerit infamis rabula. Notat hîc *aut eum repueraſcere*

raſcere aut pueris ſcribere ſe crediđiſſe, cum pluribus exemplis laboravit probare pag. CCCC LIV. & ſeq. *reſignare* accipi pro aperire. Non probandum tum præcipue ſibi duxit Salmaſius *reſignare* accipi pro aperire, ſed *ſignare* veteribus idem ſignificare quod claudere, etiam in illis quæ non annulo clauderentur. Idque aliquot exemplis planum fecit quæ ab eruditis vulgo non intellecta fuerant. Nam & *ſignatam virginem*, Lucillio apud Nonium inde appellari quæ intacta eſſet, quaſi clauſæ virginitatis. Et cum *ſigillum* idem ſit quod ſignum & *ſigillare* quod ſignare, inde & *ſigillare oculos mortuorum* dixiſſe Varronem pro claudere, quo loco perperam apud Nonium vulgo habetur ſcriptum *ſugillare*. Ut igitur probaret in his omnibus locis *ſignare* accipi pro claudere, quia res multæ annulo claudi ſolerent, exemplo id firmavit verbi *reſignare* quod contrarium eſt τῷ *ſignare*, & accipitur pro aperire. Sic enim *claudere* & *recludere* eſſe contrariæ ſignificationis. Uno & altero exemplo id obiter tantum oſtendit & addidit paſſim hoc verbum eo ſenſu poſitum inveniri. Virgilius, *reſignare* oculos dixit pro *ſignare*, quod Varroni eſt *ſigillare*, dum reſpicit ad morem veteribus uſitatum, qui & nunc obtinet, oculos mortuis claudendi. *Reſignare* autem poſuit pro claudere,

ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ut multis etiam *recludere* pro eodem uſurpatum eſt, & *reddere* pro ſimplici dare Ennio, *Ilia reddita nuptum*, id eſt data. Ita *religare* pro ſimplici ligare; *Recalere* Virgilio pro calere. Sic ergo in hoc Virgilii verſu *reſignare* accipiendum de Mercurio:

Dat ſomnos adimitque & lumina morte reſignat.

Id eſt claudit. Nam morte clauduntur lumina, ut alibi idem:

In æternam clauduntur lumina noctem.

Nugatur Servius qui alias interpretationes adfert: ut de ſignis oculorum ablatis, quę ſine riſu legi non poſſunt. Hæc notaſſe an etiam repueraſcere eſt? Certe pro puero te Salmaſius cum illa obſervavit non accepit, ſed ſemper pro impuro & improbo rabula & ſycophanta habuit. Omnia, Cauſidice, linea alba ſignas, & miſces non miſcenda, duces exercituum & principes magiſtratuſque populi cum privatis, litteras familiares cum publicis & quæ de rebus publicis ſcriptæ ſunt. Quæ diſtinguere oportuit hominem doctum qualem te facis ſine cauſa. Notas hoc loco, & poſt ſuperiorem obſervationem ita concludis, *Cum igitur Epiſtolæ aliena manu ſcriberentur, ſæpe ſervorum & amanuenſium aut aliorum, nec ſubſcriberentur, ſalus appoſita initio Epiſtolæ auctorem indicabat, annuli & ſigna fidem faciebant.* Pauciſſimis

verbis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

verbis res omnes hîc expreſſæ cenſuram merentur & nihil eſt quod cum judicio ſcriptum ſit. Nam partim falſæ ſunt, partim ridiculæ. Quod ais Epiſtolas ſuas veteres aliena ſæpe manu ſcripſiſſe, hoc nego, cum ſua eas manu ſępius ſcripſerint, nec umquam alienam adhibuerint niſi cum ſua uti prohiberentur aliqua valetudine aut alio impedimento. Nec aliter nunc mos eſt. Quis enim privatorum in epiſtolis ad familiares ſcribendis alia quam ſua utitur manu? Ne principes quidem & Reges cum familiares Epiſtolas ad ſuos ſcribunt, alienam manum uſurpant. *Annulos* & *ſigna* hîc iterum conjungis, neſcio quo myſterio, niſi illud eſt quod ſupra attigi. Falſum porro eſt annulos & ſigna fidem feciſſe Epiſtolis privatorum. Non enim ea tantum cauſa ſignabantur, ut iis fides haberi poſſet ab amico qui eas recipiebat. Chirographum amici longe ad hoc potentius. Et verum eſt, ut diximus, numquam alia quam ſua manu ſcripſiſſe veteres, niſi cum non poſſent ſua. Annulo ſuo eas ſignabant, quia clauſas mitti oportuit, niſi ſi vellent ſecretum ſuum patere omnibus, ipſiſque adeo tabellariis, priuſquam amicus illud noſceret. Cum autem eo tempore ſolerent omnia domi utenſilia, quæ tuta eſſe volebant & intacta domeſticorum & externorum rapinis, annulo

ſuo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſuo claudere, ideo & idem in epiſtolis, quas ad amicos miſſitabant, obſervarunt, ut non aliter quam clauſæ & obſignatæ traderentur Tabellariis. Hoc igitur tantum ſtudebant, ut clauſæ & non apertæ litteræ mitterentur, ne alius eas prius videret quam amicus cui erant deſtinatæ. Eadem ratio certe fecit ut obſignatæ clauſæque mitterentur, atque ut propria mittentis manu ſcriberentur. Nemo quippe ſecretum ſuum alii temere committere vult, quam amico & fido. Apertas qui mitteret, illud plane tabellario crederet. Qui aliena manu ſcriberet, conſcium ſui arcani faceret eum cujus manum ſcribendo adhiberet. *Vnde,* inquis, *plures fraudes factæ ſubrepto aut effícto alicujus annulo.* Fraudes illæ non metuendæ in epiſtolis ad familiares ſcribendis, deque rebus privatis & domeſticis amici qui ſcribit, vel ejus ad quem ſcribitur. Tanti non erat ut fraudator intercipiendi ſecreti cauſa quod ad ſe non pertinebat, & quod curare non debebat, ſurripere alterius annulum aut effingere vellet. Hoc adeo parum caverunt veteres, ut ſæpe alieno annulo uterentur in obſignandis epiſtolis, & non eodem ſemper. Nec hodie alia nobis conſuetudo. Sed Addis, *Ob hanc cauſam cum occiſi Marcelli annulo potitus eſſet Annibal, ejus ſigni errore ne qui dolus necteretur à Pœno metuentem Criſpinum Titus Li-*

vius

vius ait circa civitates proximas miſiſſe nuntios, occiſum collegam eſſe, annuloque ejus hoſtem potitum, ne quibus litteris crederent Marcelli nomine ſcriptis. Hoc eſt de quo te monui paulo ante, te nimirum litteras publicas perperam cum familiaribus confundere, & magiſtratus populi Romani, duceſque exercituum cum privatis ac plebeis. Privati ſemper ſua manu litteras ſcribunt quando id poſſunt, quia de rebus ſuis domeſticis & aliis quæ publicum non tangunt, & quæ ſua refert ab amico ſolum cognoſci cui ſcribunt, ut à ſe noſcuntur. Ubi manum amici amicus accipit, ſignum non valde requirit, cui ſatis eſt quocunque ſigno clauſas accipere. Nam ſi vel filo ſolo clauſæ forent, Tabellarij fidelis curioſitas minime eas violaret. In Duce exercitus & Magiſtratu populi aliud eſt. Cum litteras publicas ſæpe ad plures civitates aut præſides, ſcribendas habeant, & omnes interdum eodem exemplo, non ſua manu eas poſſunt exarare. Ideo olim habuere ſcribas ab Epiſtolis, vel Epiſtolarum magiſtros, quales nunc *Secretarii* dicuntur, quibus hoc munus & hæc cura mandabatur. Nec hoc tempore aliter fit. Debuere igitur qui in magiſtratu erant poſiti, aut qui exercitibus præerant, Principes etiam & Reges, & omnes qui rempublicam gubernabant, uno ſemper & eodem annulo uti

quo litteræ eorum obſignarentur. Cum enim in his ſcribendis aliena opera & manu uti fere ſemper conſueviſſent, & cum ad plures eodem exemplo ſcriptæ mittendæ forent, quoniam fides per manum eorum fieri certa non poterat, oportuit alio argumento eam præſtari. Non alia re commodius id potuit quam annuli ſigno, qui non debuit variare aut mutari, ſed ſemper eſſe idem. ut de illo Marcelli annulo ſcribit Livius, cujus potitus fuerat Hannibal. Civitates ſocias & amicas monuit Criſpinus poſt Collegæ mortem, ne annulo amplius Marcelli crederent, quia is in hoſtis erat poteſtate, qui ad perniciem earum poterat eo abuti. Civitates olim Græciæ liberæ habuere eodem modo σφραγῖδα, qua litteras publicas obſignabant & fœdera cum vicinis civitatibus aut regulis ſancienda. De quibus nos alibi. Mercatores & Trapezitæ publici, & alii negotiatores iiſdem etiam ſemper annulis & ſignaculis uti debent cum litteras mittunt ad ſocios qui peregre negotiantur, aut actores ſuos aut alios. Plurimum enim refert, ut fidem hujuſmodi aliquo certo ſigno & ſymbolo inter ſe recte ambulantem firment, ne quis error aut fraus interveniat ſubrepto aut efficto ſuo ſignaculo. Ita Plautinus Curculio Lyconem trapezjtam circumvenit, falſis litteris compoſitis & ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

annulo quem ſubripuerat ſignatis. Hæc omnia à te diſtinctè cum ſuis cauſis & differentiis diſcerni & explicari oportuit, non ſimpliciter ὑπὸ μίαν μύκονον omnia congregare & nænias canere de Epiſtolis veterum aliena manu ſcriptis, *ſervorum & amanuenſium*. Cur hic *ſervos* & *amanuenſes* diſcriminas? An ignoras *amanuenſes* fere ſemper ſervos fuiſſe? Stulte igitur hic amanuenſes à ſervis diſtinguis; quaſi amanuenſes ſervi non fuerint, aut quaſi ſervis amanuenſibus antiqui uti non conſueverint. Hi ſunt quos & *ſervos ad manum* vocarunt, ut appellantur auctori de viris illuſtribus. Cicero quoque *ſervum ad manum* dixit, qui aliâs unica voce *amanuenſis*. Nam *ad manum* dicebant & *à manu*, inde *amanuenſis*. Verba Ciceronis: *Itaque idem Gracchus quod potes audire Catule ex Licinio cliente tuo litterato homine, quem ſervum ſibi habuit ille ad manum, cum eburnea ſolitus eſt habere fiſtula.* Amanuenſes etiam hic vocas quos ſupra *librarios*, quaſi iidem amanuenſes fuerint omnino cum librariis. Scribæ librarii hi propriè fuerunt qui libris deſcribendis & publicandis deputati erant. Iidem *antiquarii* etiam dicebantur & Græcè καλλιγράφοι, quia emendatas curas ex opiſtographis vel ex libris qui notis erant ſcripti in codices transferebant ſcite ſcribendos. Bibliopolas etiam ita vocatos notat Iſidorus.

Sed Romani tunc ſervos librarios habuere; quorum manu ſæpe utebantur ad ſcribendas epiſtolas, ut ad libros nitide ſcribendos. Erant & quodommodo hi etiam *ad manum*, ſed *amanuenſium* nomen generalius eſt, *librarii* vero proprie libris deſcribendis operam dabant; ut *Notarii* illi erant qui Notis excipiebant à domino dictata. Scribæ à manu vel ad manum, iidemque amanuenſes qui litteras dictante domino exceptas ſcribebant. *Cum Epiſtolæ*, inquis, *aliena manu ſcriberentur*, *nec ſubſcriberentur.* Nonne inſcriptio idem tunc valebat & efficiebat ut nunc ſubſcriptio? *Cæſar Ciceroni*, *Cicero Cæſari S. D.* De annulis & ſignis, quæ iterum hîc conjungis, cũ jam bis id feceris, ſi quod in ea re μυστικὸν eſt, infra aperietur.

CAP. XVIII.

Ignorantia Heraldi in Græcis notatur. σφραγῖδα non eſſe ſignum annuli in lege Solonis, ſed exemplar. Neſcire Heraldum quid ſit ſymbolum, quid ſignum, quid exemplum, quid exemplar. Locus Plauti ab eo non intellectus.

VT *igitur*, inquis, *ejuſmodi fraudibus obviam iretur, neve quis alterius ſigno abuti poſſet, legem tulerat Solon ne quis annularius ejus annuli quem vendidiſſet ſignum penes ſe retineret.* Verba etiam Græca apposuiſti, ut intelligeremus ſcilicet te Græce neſcire, qui σφραγῖδα eo

loco

loco pro annuli ſigno acceperis. Sic ea habent: Δακτυλιογλύφῳ μὴ ἐξεῖναι σφραγῖδα φυλάττειν τοῦ πραθέντος δακτυλίου. Typographo imputo illud σφάλμα quo ſcriptum eſt in editione δακτυλογλύφῳ; cum ſciam tamen te ſatis Græce imperitum eſſe ut poſſis δακτυλόγλυφον pro δακτυλιογλύφῳ accipere. Major eſt inſcitia qua σφραγῖδα in illis verbis ſignum annuli latine reddidiſti. Jam docui te ſupra, ſignum annuli nihil aliud eſſe quam ἐκτύπωμα τῆς σφραγίδος, i.e. expreſſionem in cera quam annuli gemma in eo impreſſa facit. At hîc σφραγὶς longè aliter accipienda. Eſt enim exemplar figuræ vel imaginis quam annuli ſculptor in gemma cavat. Non poterat quippe cavator ſive ſculptor gemmæ quicquam in ea ſculpenda formare niſi exemplar ejus ante ſe haberet, quod in ſculpēda gemma ſubinde reſpiceret. Hoc eſt quod Diogenes Laertius, vel ipſe Solon potius in ea lege nomine σφραγῖδος intellexit. Qui annulum curabat faciendum & gemmam ſculpendam, ejus exemplar à ſe dabat. Sæpe & ipſi gemmarum ſcalptores ingenio ſuo utebantur in iis exemplaribus formandis & exinde in gemma effingendis. Quas ab his ſibi comparabant qui annulum ſignatorium habere vellent, & inter multas figuras σφραγίδων eam eligebant quæ ſibi magis placeret. Pergis deinde & ais, *Cæterum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

quo minus errare aut falli poſſent, de ſigno quandoque inter ſe conveniebant. Non bene hoc explicas & videris prorſus neſciſſe illud de quo tunc ea ſcripſiſti. Poſt locum Plauti allegatum ſtatim ſubdidisti, *& ut de Symbolo conſtaret certius, ejus exemplum aſſervandum quandoque dabant.* Quid eſſet *ſymbolum*, quid *ſignum*, quid *exemplum* in illis verbis Plautinis quæ citaſti, prorſus, ſi quid ſcio, ignoraſſe te video. Nihil eo facto quod Plautus ibi narrat, contra communem morem Epiſtolarum obſignandarum excogitatum eſt. Symbolum dicebatur illud omne de quo aliqui inter ſe conveniebant, ut eo ſigno & argumento invicem oſtenſo ſtare conventioni cogerentur. Aliquando nummus in duas partes ſciſſus, & utrique parti contrahentium datus pro ſymbolo fuit. In loco Plauti è Pſeudolo ſymboli vicem inter ſe conſtituerunt Ballio & Miles, annuli ſignum in Epiſtola militis ad Ballionem miſſa, in quo imago ejus impreſſa erat. Symbolum igitur inter eos ſumptum ſignum fuit ipſius in Epiſtola militis, ſive imago ejus quo obſignata fuit Epiſtola;

Miles lenoni Ballioni Epiſtolam
Conſcriptam mittit Polymachæroplacides
Imagine obſignatam, qua inter nos duos
Convenit olim. S. Symbolum eſt in Epiſtola.
B. video & cognoſco ſignum.

Signum

Signum itaque in Epiſtola, hoc eſt imago militis annulo ejus inſculpta, qua obſignata fuit, ut pro ſymbolo eſſet inter illos convenerat, ut qui talem Epiſtolam tali ſigno vel imagine obſignatam adferret, is mulierem à lenone abduceret, ut paulo poſt dicitur,

Scio equidem ut qui argentum afferret atque expreſſam imaginem
Suam hic ad nos cum eo ajebat velle mitti mulierem.

Sed in eo ſymbolo ne qua fraus intervenire poſſet, miles reliquit penes lenonem exemplum ſigni annuli ſui, ſive imaginis in annulo impreſſæ, cera ſi forte expreſſam, ut, cum Epiſtola à milite ei daretur, poſſet conferre ſignum ejus cum exemplo annuli penes ſe relicto an paria eſſent. Expreſſa imago ſive ſignum annuli expreſſum in Epiſtola obſignata debuit eſſe. Exemplum vero imaginis apud Ballionem relictum, etiam expreſſum in cera fuit & datum adſervandum ipſi Ballioni, ne decipi poſſet ſi alia imagine obſignata Epiſtola ei traderetur quam de qua convenerat. Et hoc ſic recte cautum & conventum fuit à lenone in Epiſtola recipienda militis, cujus nec ſignum noverat nec manum. Inter amicos ſuperflua hæc cautio foret, & in Epiſtolis notorum ultro citroque miſſitandis. In illis Plautinis verſibus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

nec *exemplum* quid ſit ſcire potuit Cauſidicus, qui *exemplar* & *exemplum* ubique confundit, nec quid *ſignum*, cum annulum & ſignum junctim ponat in Epiſtolis ſignandis. In quo Durandum ſuum ſequitur, qui annulos appendi ſolitos ſcribit chordulis dum teſtamenta ſignantur. Signum autem annuli ſymbolum etiam inter eos fuit, quia pro ſymbolo ut eſſet convenerat. Quod iſte omniſcius ignoravit. Melius tamen res ſe habet quam putaram & omnia ſalva ſunt, cum ὄνος Κυμαῖος, aut certe Lotharingicus, non enim minores ea regio fert Cumanis, à generoſitate ſua impetravit ut *lectionem Salmaſii* probaret in Plautino verſu *Imagine obſignatam*, pro *imaginem*. Noluit dicere *emendationem*, nihil enim Salmaſius poteſt emendare, qui mendoſa omnia facit. Mirabar quorſum evaderet cum hac tam ingenua Lectionis Salmaſianæ approbatione. Et ſane ſtatim altera manu retraxit quod altera dederat. Nam in proclivi eſſe eam lectionem protinus adjunxit, & quam Plautus ipſe ſibi quoque miniſtraverat in eadem fabula. Quod ego tamen parum credibile autumo. Si enim eadem lectio ei in mentem veniſſet, numquam parſiſſet locum ei dare in libro Obſervationum, aut in illis de rerum judicatarum auctoritate.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

CAP. XIX.

De Epiſtolis autographis an ea cauſa ſit cur propria cujuſque manu ſcribantur quam allegat Heraldus. Inſcitia ejus in Græcis notata, nec minus in Latinis. Annulo & ſigno ſignatas tabulas neminem umquam dixiſſe Latinorum. Chirographas Epiſtolas non dici, ſed Chirographum abſolute, quod quiſque manu ſua ſcripſit, vel propria manus ſcripturam. Signa eſſe ſigilla, ſignacula vero inſtrumenta ſignandi. Signa non avulſa in aperiendis tabulis, ſed cum lino inciſo, rupto vel ſoluto, detracta. Quid ſit σημεῖα λῦσαι apud Dionyſium Halicarnaſſeum.

QUo pede jam ſemel cœpit, ire porro contendit, & res arcanas, antiquas, ſepultas eruere, & orbi litterato pandere non ceſſat. Nam quis ante illum hoc ſcivit aut præter illum quod hîc nos docere voluit? Litteras nempe manu auctoris ſcriptas dictas eſſe Græcis χειρογράφους & αὐτογράφους. Beaſti nos, ô flos delibate Juriſconſultorum, niſi enim hoc à te didiciſſemus, puer aliquis è tertia claſſe Scholæ trivialis id facile nobis inſinuare potuiſſet. Glorioſius mihi eſt idem ex te cognoviſſe. Ad rem quod attinet, nihil ad eam ſane faciunt quæ hîc notaſti. *Ad meliorem & certiorem fidem, non ſolum annulo ſuo litteris ſignaſſe, ſed & manu ſua ſcripſiſſe.* Quaſi vero hæc cauſa fuerit, cur litteras ſcriberent ſua manu, ut major

iis eſſet fides? Hoc in Chirographis cautionibus fortaſſe locum habuerit, ſed non in Epiſtolis familiaribus. Conſcium ſecreti quia alium habere nolumus præter amicum cui ſcribimus, ideo noſtra manu epiſtolas ad eum exaramus. An alia ratio id facit? Cur pedibus noſtris ambulamus, dentibus comedimus qui quærit, etiam poteſt quærere cur manu noſtra ſcribamus, & quidem Epiſtolas. Nullum quippe genus eſt ſcriptionis in quo alienam manum minus adhibere quis debeat. Nec ut fidem ex hoc majorem & certiorem iis conciliemus hoc facimus, ſed quia, ſi quid ſit quod noſtra manu ſcribere debeamus, hoc epiſtolæ præcipue à nobis jure ſuo poſcunt ut ἰδιοχείρως ſcribantur. An etiam noſtra mente quæ ſcripturi ſumus, concipere debemus potius quam aliena, ut fides iis major adhibeatur? Cum pedibus æger ſum baculum quæro. Si ne ſic quidem me ſuſtinere & ferre valeo, alienis manibus ſuſtentor. Pueri præmanſa nutricum deglutiunt, quia dentes non habent. Ita aliena manu utuntur in ſcribendis Epiſtolis qui propria uti non poſſunt. Ovidius Triſt. lib. III. Epiſt. III.

Hæc mea ſi caſu miraris Epiſtola quare
Alterius digitis ſcripta ſit, æger eram.

Cicero in Epiſt. ad Attic. lib. VIII. Epiſt. XIII. *Lippitudinis meæ ſignum tibi ſit Librarii*

manus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

manus, & eadem cauſa brevitatis. Si quod crimen aut peccatum ſit in ſcriptione quod faciat auctor dum ſcribit aut confiteatur, magis tenetur ſi propria manu id ſcripſerit quam aliena. Debiti reus magis obligatur proprio chirographo quam alieno. Sed nemo mihi perſuaſerit hanc eſſe cauſam nobis propria manu potius quam aliena ſcribendarum Epiſtolarum, ut majorem & certiorẽ fidem iis adrogemus. Debuit ergo genera hæc ſcriptionum diſtinguere cauſidicus, nec de Epiſtolis ea tradere quæ ad alia ſcripta pertinent. Ne in teſtamentis quidem ſcribendis manus teſtatoris deſiderabatur ad fidem majorem faciendam, cum & aliena manu ſcripta, ſi aliis ſolemnibus non deficerentur, valerent. Sed habuit locum in Adverſariis Advocatus è Dionyſii Halicarnaſſei l. v. notatum, qui male inter blattas & tineas illi periiſſet, niſi heic eum collocaſſet. Vt bene autẽ collocaretur, ea dicenda fuerũt de majore fide epiſtolarũ ſi propria auctoris manu ſcripta forent. Loquitur ibi Dionyſius de literis à Bruti filiis ad Tarquinium ſcriptis & patri proditis. Verba Græca hæc ſunt; Καθίσας ἐπὶ τὸ βῆμα καὶ τὰς ἐπιστολὰς τὰς ἐν τῇ συνωμοσίᾳ διασκεπτόμενος, ὡς δ' εὗρε λαὶς ὑπὸ τῶν υἱῶν γραφείσας ταῖς σφετέρῃσιν, καὶ μετὰ τὸ λῦσαι τὰ σημεῖα τοῖς χειρογράφοις. Interpretem ea ſic optime vertiſſe judicat Advocatus: *Cum*

aſcenſo

aſcenſo tribunali epiſtolas conjuratorum perluſtraret, ubi filiorum litteras primum ex utriuſque ſigillo, deinde poſt avulſa ſignacula etiam è manu agnovit. Belle ac vere dictum memini à Græcis de bono advocato bonum judicem fieri non poſſe. Et videtur non alio conſilio Cauſidicus noſter hanc interpretis verſionem probaſſe, quam ut ſummam ſuam in Græcis imperitiam proderet, qui non viderit tria inſignia in ea peccata eſſe. σφραγῖδας reddit, *ſigilla*, qui ſunt annuli: σημεῖα *ſignacula* quæ ſunt *ſigna.* λῦσαι τὰ σημεῖα, *avellere ſignacula*, cum ſit *ſolvere ſigna. Sigilla* & *ſigna* eadem ſunt, nempe σημεῖα & ἐκτυπώματα annuli, ſive expreſſiones in cera factæ. At σφραγῖδες annuli ipſi ſunt, ſive gemmæ ſignacula. Nemo dixit propriè ſignis obſignare tabulas aut rem aliam quamlibet, ſed annulis. Non enim legimus in Jure uno ſigno ſignare poſſe teſtes omnes teſtamentū, ſed uno annulo. Unus annulus poterat facere, ut jam dixi, ſeptem illa teſtium ſigna quæ requirebantur in ſolemnibus teſtamenti. Signaculum eſt quod ſignum facit, non idem vero cum ſigno. Annulus eſt qui ſignat, ergo ſignaculum eſt. Cauſa efficiens eſt ſigni, τοῦ σημείου. At effectum ſignaculi, τοῦ σημάντρου, τῆς σφραγῖδος, ſignum eſt. Apulejus in Floridis: & *annulum in læva aureum, faberrimo ſignaculo*, id eſt σφρα-

γῖδι

γίδι, σημάντεω. Gemma nimirum annuli inſculpta quæ ſigna exprimebat in cera tabularum. Et recte in optimis & vetuſtiſſimis Gloſſis *ſignaculum* exponitur σφραγιςήριον. Nempe id quod ſignat, ipſe annulus, vel gemma annuli. Et cum nullam gemmam habet ipſum aurum eſt quod ſignat, ut etiam habuere veteres. Quod principatu Claudii inventum tradit Plinius lib. XXXVII. cap. I. *Contra vero multi nullas admittunt gemmas, auroque ipſo ſignant. Id Claudii principatu inventum.* Hoc igitur differunt inter ſe *annulus* & *ſignaculum*, quod ſignaculum id omne eſt quod ſignat etiamſi non ſit annulus. Et Ulpianus ſcribit veteres *varie ſignaſſe*, & aliquo impreſſo quod non eſſet annulus. Ubi *impreſſum* appellat quodlibet ſignaculum aliqua figura vel nota impreſſum & inſculptum ad ſignandum idonea. Annulus ergo ſignatorius duorum erat generum aut cum gemma, quæ & ipſa *ſignaculum* dicitur quia ſignat, aut ſine gemma, ipſo auro vel ferro ſignans, ut etiam habuere ferreos. Σφραγὶς Græcis de utroque uſurpatur, de ſigno quod facit annulus ceræ impreſſus, & de ipſo ſignaculo. Hinc σφραγὶς λημνία Græcis, quam *terram ſigillatam* ſive *ſignatam* vulgo dicimus. Non enim ea ſignabant, ſed ita vocabant quod ſignata eſſet. Plin. lib. XXXV. cap. VI. de Lemnia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Lemnia terra. *Nec niſi ſignata venundatur. Vnde & Sphragidem, appellavere.* At Jaſpidem gemmam καθ' ἐξοχὴν Græci σφραγῖδα vocabant quod optime ſignaret. Idem Plin. lib. XXXVII. cap. VIII. *Sphragidem vocant, publico gemmarum domino iis tantum dato quoniam optime ſignant.* In illis autem verbis Dionyſii à Cauſidico citatis σφραγῖδες ſunt annuli, σημεῖα *ſigna* vel *ſigilla.* Quod etiam liquet ex verbis ejus quæ paulo poſt ſequuntur, ἐπιστολάς τε περὶ τούτων γράψαντες αὐτογράφους καὶ ταῖς ἑαυτῶν σφραγῖσι κατασημηνάμενοι πέμπειν πρὸς τοὺς φυγάδας ἔμελλον. Ubi etiam inſcite interpres Latinus reddidit: *Ac de hac re epiſtolas manu ſua ſcriptas, ſuiſque ſigillis obſignatas.* Litem ſuam fecit ſuumque errorem Advocatus qui probavit. Græci σφραγῖδας nunquã dicunt niſi de ipſis annulis vel annulorum gemmis cum de epiſtolis ſignandis agitur. In eo Dionyſii loco σφραγῖδες omnio ſunt annuli. Annulis certè vel annulo *ſignare & obſignare*, fermè ſemper omnes dicunt, *ſignis* etiam ſignata & obſignata teſtamenta & tabulas aliquando apud auctores reperitur, ſed numquam *annulo & ſignis obſignatas*, vel *annulo & ſignis ſignari.* Signantur annulo tanquã inſtrumento, ſignata dicuntur ſignis, quia clauſa & obſerata ſignis revera tenentur è cera factis & lino impoſitis quæ annulo impreſſa ſunt. Sed ſuperfluum eſt ac

pene

pene ridiculum & inauditum annulo & ſignis ſignare. *Annulus* cauſa eſt efficiens, *ſignum* effectum & ἀποτέλεσμα. Nam *ſignum* idem quod ſigillum, ἐκτύπωμα rectè exponunt optimæ Gloſſæ. Unde & *ſignatores*, ſive teſtes, cum aperitur teſtamentũ, priuſquam reſignetur, ſigna ſua ſive ſigilla recognoſcere debent, non annulos, id eſt σφραγῖδας, ſed annulorum ſigna. Annulus quippe, ut diximus, eſt inſtrumentum ſignandi & ſignaculum, *ſignum* vero vel *ſigillum* id quod eſt eo inſtrumento factum. Pater ergo Tarquinius Brutus inter litteras ipſi oblatas, eas quæ à filiis ſcriptæ erant agnovit ex ipſorum annulis quos noverat, & mox ſolutis ſignis etiam eorum manum recognovit. Ineptè interpres, μετὰ τὸ τὰ σημεῖα λῦσαι vertit, poſt *ſignacula avulſa.* Duabus in voculis duo peccata commiſit, quæ etiam admiſit Advocatus, ut mireris ejus in Græcis imperitiam. Λῦσαι non eſt *avellere* ſed *ſolvere.* Nec *ſigna* aut ſigilla de tabulis obſignatis avellebantur ut reſignarentur, multo minus ſignacula vel annuli, qui in rebus ſignatis non relinquebantur affixi, ut ſolis Durandis & Heraldis placet, ſed ſola per hos expreſſa ſigna. Nec ea quidem prius avelli mos fuit in aperiendis quibuſcunque Tabulis, quia ne anulſis quidem patuiſſent, ſed incidendum erat ante omnia aut rumpendum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

dum aut ſolvendum linum, quo ſoluto & ſublato, ipſa ſigna quæ ſupra linum erant impreſſa refigebantur & tollebantur. Auctor de viris illuſtribus, *relaxatis epiſtolæ vinculis detractoque ſigno.* Ergo prius erat relaxare & ſolvere vel rumpere vincula epiſtolæ, quo facto ſignum ſimul detrahebatur. Hinc Ovidius in aperiendis epiſtolis *vinculorum* tantum *demptorum* & *labefactorum* meminit, ſed ſignum etiam detractum ſimul intelligi debet, lib. III. de Ponto Eleg. VII.

Noſtra quid apportet jam noſtis Epiſtola, quamvis
Charta ſit à vinclis non labefacta ſuis.

Idem lib. IV. Triſt. Epiſt. VII.

— Dum chartæ vincula dempſi.

Si avellenda tantum ſigna fuere, dic mihi beſtia, quid lino faciebant quo Epiſtolæ erant colligatæ? An poſt avulſa demum ſigna id incidebatur? At ego tibi jam oſtendam prius linum inciſum fuiſſe, quod cum ſigno eximebatur. Paulus lib. IV. Sententiarum Tit. VI. *Tabulæ*, inquit, *teſtamenti aperiuntur hoc modo. Vt teſtes vel maxima pars eorum adhibeantur, qui ſignaverunt teſtamentum, ita ut agnitis ſignis, rupto lino aperiatur & recitetur.* Vides ſiquid vides, ô leberide cæcior, ante omnia in aperiendis teſtamentis ſigna ſua agnoſci ab his teſtibus qui ſignaverunt, deinde agnitis ſignis, non ea avulſa

fuiſſe

fuiſſe, ut nec ſane avelli opus fuit, ſed lino rupto vel inciſo ſigna ſimul cum lino cui adhærebant ſublata. *Inciſi* ſemper *lini* in teſtamentis meminerunt auctores, numquam avulſorum ſignorum. Marculphus lib. II. Formularum cap. XVII. de teſtamento. *Recognitis ſigillis, inciſo lino.* Nec ſecus fuit in Epiſtolis aperiendis. An linum in his fuiſſe potes negare? Nega igitur ſi potes, non linum etiam in his fuiſſe inciſum ut aperirentur. Inde *ſolvere epiſtolam* Romanis ſcriptoribus pro aperire, quia inciſo lino ſolvitur & ſignum. Quod σημεῖον λῦσαι Dionyſio. Relaxare vincula Epiſtolæ, labefactare, demere, Latini auctores dixere. Pro magno nobis venditabas Epiſtolas quæ manu propria auctoris ſcriptæ eſſent, αὐτογράφους & χειρογράφους appellatas veteribus eſſe, & loca duo Dionyſii citaſti ut hoc probares. De Autographis epiſtolis tibi concedo, quod nemo neſcit, ſed quod tu ipſe neſciviſti, nego ἐπιστολὰς χειρογράφους in priore loco Dionyſio vocari, quæ nec à quoquam ſcriptore Attico umquam ſic vocatæ ſunt. Sed apparet te illa verba ejus Græca non intellexiſſe, ὡς εὗρε, τὰς ὑπὸ τῶν ἡμῶν γραφείσας τοῖς σφραγῖσιν ἑκατέρων, καὶ μετὰ τὸ λῦσαι τὰ σημεῖα τοῖς χειρογράφοις. An putaſti his verbis epiſtolas χειρογράφους à Dionyſio vocari, ut in ſequentibus αὐτογράφους appellavit?

Neſcis ipſe quantum ſis neſciens Græcæ litteraturæ. Poſt apertas epiſtolas, ſolutis ſignis, cognovit eas eſſe filiorum τοῖς χειρογράφοις, id eſt manu ipſorum. Nam τὸ χειρόγραφον Græci vocant propriam cujuſque manum ſcriptura qualibet expreſſam, & inde Latinis *Chirographum*. Scholiaſtes vetus Iuvenalis ad Sat. 1. ex vetuſtiore ut videtur auctore: *Licinius ex Germania puer captus tantæ induſtriæ fuit, ut reliquias cibariorum inter conſervos feneraret, & cui quid credidiſſet, quali poterat chirographo pugillaribus ſubnotaret.* Id eſt, propriæ manus ſcriptura quali poterat atque ut poterat, utpote litterarum non bene peritus. Nec aliter accipi poteſt in his Suetonii ex Auguſti vita, *Notavi & in chirographo ejus illa præcipue; non dividit verba.* De eodem Auguſto dixit, *nihil æque laboraſſe quam ut Nepotes chirographum ſuum imitarentur*, id eſt, ſuam manum. Sed apertius idem in Tito *chirographum* poſuit, eodem plane ſenſu quo Dionyſius τὰ χειρόγραφα filiorum Tarquinii, pro manu ipſorum: *E pluribus comperi notis quoque excipere velociſsime ſolitum cum amanuenſibus ſuis per ludum jocumque certantem imitari chirographa quæcunque vidiſſet, ac ſæpe profiteri ſe magnum falſarium eſſe potuiſſe.* Id eſt, omnium manus, omnium ſcripturas ἰδιογράφους, πάσης χειρὸς γράμματα, ut Græcus auctor dixit à Caſau-

bono

bono ibidem citatus. Ipſe Cicero ſic accipiendus Philippica II. *Quo me teſte convinces? An chirographo?* id eſt propria manu. Item Epiſt. xx. lib. II. ad Atticum: *neque utar meo chirographo, neque ſigno.* Tu qui non pateris reprehendi tuos Doctores, quia non putas errare eos poſſe, defende illos ſi potes, quod *chirographum* in ſuis Lexicis juridicis interpretantur, *Scripturam privatam manu cujuſque ſubſcriptam, ſubſignatamque.* Unde hoc expiſcati ſunt, cum certum ſit antiquis uſitatas non fuiſſe ſubſcriptiones iſtas & ſubſignationes, quas nobis hîc oſtentant? Ne in Chirographariis quidem cautionibus, quas proprie & abſolute *chirographi* nomine nuncuparunt, ejuſmodi aliqua ſubſcriptio vel ſubſignatio nota fuit. Simpliciter enim in his ita ſcribebat qui ſe debitorem alicujus ſummæ profitebatur, *Ego Titius fateor, à Mario me accepiſſe nummos decem.* De his plura Salmaſius in lib. de Modo uſurarum. Sed verba fortaſſe Grammaticis & Criticis curanda relinquis, ipſe rerum ac juris totus, utpote magnus Juriſconſultus. Cur igitur in eadem pagina aliud atque aliud de eadem re ſcripſiſti? Non te pudet levitatis & inconſtantiæ? Hoc idem ſi in Salmaſio deprehendiſſes, canino illo tuo rictu quantos hirritus aut latratus edidiſſes? Num. XIII. ſcripſiſti, *Annulis & ſignis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

non minus credebant olim quam manui, maxime in privatis ſcriptis, veluti in Epiſtolis. De iiſdem epiſtolis adhuc tractas hoc Num. xv. & dicis; *ad majorem & certiorem fidem non ſolum annulo ſuo litteras ſignabant, ſed & manu ſua ſcribebant.* Magis ergo videntur credidiſſe veteres manui quam annulis, ſi ad majorem fidem manu ſua epiſtolas ſcripſerunt. Utrum major fides ſit aut firmitatis fiducia in manu ſive chirographo quam in ſigno vel ſigillo, hic tibi diſquirendum fuit. In genere dolus ac fraus magis frequentes ſunt & magis faciles in eo ubi minus fidei reponendum eſt. Atqui annuli expreſſio majoribus fraudibus & frequentioribus obnoxia eſt, ergo minus tuta quam manus. Reperti quidam ſunt olim qui chirographa omnia quæcunque vidiſſent, poterant imitari, ut de Tito narrat Suetonius, de Diophanto Herodis regis ſcriba ab epiſtolis Græcus ſcriptor, de ipſo Antonio Cicero, qui in Philippica II. ſcribit, *in chirographis imitandis ſcientiam habuiſſe quæſtuoſam*, quia Cęſaris manum, ſive chirogtaphum, in Actis multis quæ numquam ille ſcripſerat, ipſi affingendis tanquam ſi manu ejus ſcripta fuiſſent, per quam ſcite imitari noverat Antonius. Ante aliquot annos capite plexus eſt Lutetiæ quidam Notarius, ut vocant, ſive Tabellio publicus, Bobius nomine, qui adeo perite

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

perite & ſollerter omnia chirographa imitabatur, ut nemo non fateretur quaſi convictus ſuam manum eſſe, quam ab illo effictam videret. Quo nunc more vivimus, & ut ſcribimus cautiones & ſecuritates debitorum, quæ ut plurimum à debitore tantum ſubſcribuntur aliena manu ſcriptæ, non operoſum eſt *ſignum* alicujus imitari, ut vulgo dicitur, id eſt ſubſcriptionem nominis. Verum enimvero, ut veteres non ſolebant ſua nomina ſubſcribere chirographis, ſed tota propria manu exarare, haud ita facile fuit falſariis univerſam ideam ſcripturæ ſimulare & exprimere, & cujuſque, ut tunc loquuti ſunt, totum chirographum. Nihil vero facilius quam annulo ſurrepto & efficto ſignum adulterinum obſignandis imprimere, vel etiam ſignum ipſum expreſſum ex tabula obſignata accipere & ex eo impreſſum aliud ſignaculum faciendum curare. Inde eſt quod Cicero in Philippica ſecunda contra Antonium ſolius chirographi meminit, non etiam annuli. *Quo me teſte convinces? an chirographo? in quo habes ſcientiam quæſtuoſam.* Quia quamvis & ipſum chirographum poſſent imitari falſarii, magis tamen difficulter id fieri poſſet quam annuli typum effingere. Præterea cum Romani & Græci annulis ſignatoriis uterentur, Oriens totus cum Ægypto ſolis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

litteris contenti erant. Plin. lib. XXXVII. c. I. *Non ſignat oriens aut Ægyptus etiam nunc, litteris contenta ſolis.* Ita debueras de his tractare. Sed homo ineptus, maledicus & rabula nihil aliud quæſiſti quam ut carperes quæ non capiebas.

CAP. XX.

De ratione obſignandarum Epiſtolarum, an eadem fuerit cum ea qua obſignabantur teſtamenta. Hoc non docuiſſe Heraldum, cum tamen de utraque dixerit. Eandem omnino fuiſſe oſtenſum. Ea explicatur apertius. Stulte & falſe eundem Heraldum ponere tunc teſtamenta ſubſcripta non fuiſſe, cum ſigna manum ſupplebant. De Teſtamento jure civili facto & jure prætorio differenter, & quomodo ſenſim exoleverint juris civilis ſollemnitates in teſtamentis faciendis.

AB Epiſtolis obſignatis tranſis ad teſtamenta ſignanda. Sed in epiſtolarum obſignatione explicanda quid attuliſti unde redderemur doctiores, quomodo veteres epiſtolas ſuas obſignare ſoliti ſint? Loca quædam auctorum citaſti in quibus mentio fit lini & ceræ in epiſtolis obſignandis. Quid illi ceræ, quid illi lino feciſti? An docuiſti nos quomodo hoc, quomodo illa collocari & diſponi deberent, in epiſtolis obligandis & obſignandis? Si te imperitum tantum prædicem, minus omnino de te dixero quam dici par eſt, nam multis modis
etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

etiam malignus es. Veritus nempe es ne ſi hæc explicares planius, pæne cogereris in Salmaſii ſententiam prolabi. Non enim id potuiſſes effugere. Rem ipſam videamus. Ecce do tibi tabellas quales illæ fuerunt in quibus epiſtolas ſcribebant Romani, codicilli nempe ex duabus tabellis ligneis compacti, iiſdemque ceratis ad exarandas in iis litteras ſtilo ferreo. Accipe etiam linum, ſive filum, ut eas tabellas nobis obliges. An hærebis quomodo illud linum poſiturus ſis ut eo conſtringantur & colligentur tabellæ? Certe niſi prorſus aſinus es & rerum omnium rudis, linum tabellis circumpones & nodo colligabis. Sic erunt obligatæ tabellæ. Non enim alia ratio datur. Accipe etiam ceram ut eaſdem obſignes cum annulo quem ceræ imprimas. Ubi aut quomodo ceram illam pones? Utrum lino impones, an extra linum & in locis ubi linum non eſt? Ratio ſane poſtulat ut lino imponatur potius. Nam quid facerent ſigna aliis partibus impreſſa? Nihil tum claudendis teſtamenti tabulis profuiſſent. Poſſent utique eæ tabulæ reſerari ſine læſione ſignorum. Cur ergo *reſignari* in jure dicuntur cum aperiuntur, ſi ſigna non tolluntur, ac ne violantur quidem? Sane & Cicero in epiſtolis ad Atticum, *reſignari epiſtolam* dixit, quæ aperitur. Detrahi autem ſignum ex epiſtola

 cujus

cujus vincula ſoluta ſunt, dixit Cornelius. Cur autem lex dicit, *inciſum à teſtatore teſtamentum* pro non ſignato haberi & nullo, ſi lino inciſo nihilominus manebant ſigna ſalva? Accedit auctoritas Senatuſconſulti quod allegavit Paulus in Titulo de lege Cornelia Teſtamentaria, ubi diſertè habetur, *Impoſitæ ſupra linum ceræ ſigna imprimi.* Inde eſt quod inciſo lino & ablato, pro non ſignatis habentur tabulæ, quia dum lino infixa adhærent, ſublato lino ſimul tolluntur ac detrahuntur, aut turbantur, aut rumpuntur. Quam igitur differentiam ſtatuis, ô Marrucine, inter ſignacula Tabularum Teſtamenti & tabellarum quibus epiſtolæ privatæ ſcriptæ ſunt? Si ullam ponis, cur id non explicaſti? Si nulla tibi fuiſſe videtur, quare non hoc ipſum plane ſignificas? Ex tui Durandi ſententia vis annulos appenſos fuiſſe uni ex chordulis quibus ligabantur tabulæ. Ergo illæ chordulæ dependebant. Sed ubi illæ chordulæ in epiſtolis veterum, qui ſolius lini ſive fili meminerunt? Ubi appenſio ſignorum? Quod harum rerum veſtigium in ſcriptis veterum extat? Lini ad *obligandum*, ceræ ad *obſignandum*, æque in majoribus tabulis quales fuere teſtamentariæ, & in minoribus quales tabellæ epiſtolares, ubique extat in monumentis Auctorum mentio. Per illud autem Senatuſ-

con-

conſultum cujus meminit Paulus in libro Sententiarum, & Suetonius in vita Neronis, aliquod remedium excogitatum fuit contra falſariorum artes, ratione lini primum tunc reperta in obligandis tabellis qua privatorum qua publicorum contractuum, quæ antea erat inuſitata, perforandi nempe tabulas ad medium & ſummum marginem, & per illud foramen triplex linum trajiciendi, cum olim ſimplici lino & ſine ullo foramine circumligarentur omnes tabulæ tam epiſtolares quam aliæ quæcunque. Sed de his paulo poſt. Hic vero videris aliquod ſtatuere diſcrimen inter obſignationes epiſtolarum de quibus ante egiſti, & Teſtamentorum de quibus nunc agis. Dicis enim poſt expedita epiſtolarum ſigna, *Sane annulis tantum ſignabantur teſtamenta, ut cætera inſtrumenta clauſa.* Ergo placet tibi annulis tantum ſignata fuiſſe teſtamenta, cum epiſtolæ non tantum annulis ſed etiam ſignis obſignarentur? Sic enim tribus locis cum de epiſtolis ſignandis tractares, *ſignis & annulis* eas obſignari dixiſti. Numero XIII. pag. VI. ſtatim initio hæc tua verba recognoſce; *Signis & annulis non minus credebant olim quam manui, maxime in privatis ſcriptis, veluti in epiſtolis.* Paulo poſt pagina ſequenti hæc iterum tua verba ſunt de iiſdem epiſtolis: *Si manu ſua non ſcribebant, ſal-*

tem annulo ſuo & ſigno obſignabant. Imo, ſtulte, annulo ſuo tantum ſignabant, id eſt ſigna in cera faciebant. Paulo infra Num. XIV. de epiſtolis, *annulos & ſigna* dicis fidem eis feciſſe. Nunc abſoluta illa tractatione de annulis & ſignis epiſtolarum, hoc Num. XVII. ſic ſcribis, *ſane annulis tantum ſignabantur teſtamenta.* Ergo non annulis & ſignis ſimul, ut epiſtolæ. Cur enim de epiſtolis ſignandis, *ſigna* & *annulos* junctim tam diligenter poſuiſti, hic vero de teſtamentis verba faciens, *annulis* tantum ſignata fuiſſe memoras? An & hoc ipſum ex tuo Durando hauſiſti, ubi dicit, in forma ſignandorum teſtamentorum enarranda velut antiqua, quam ſolam unice probaſti, unumquemque teſtium *annulum vel ſigillum ad unum ex chordulis appendere ſolitum.* Ergo cum annulus vel ſigillum appendatur ſolum, non utrumque appenſum videris intellexiſſe in teſtamentis ut in epiſtolis, quas ſemper *annulis* & *ſignis* fuiſſe obſignatas docuiſti. Non cavillabor tamen ut ſoles, & agnoſco te aliud voluiſſe his verbis quæ citavi, quod tamen æque falſum & ridiculum ut illud, quod non nemo poſſit ex his quæ poſuiſti intelligere. Sic igitur ais, *Sane annulis tantum ſignabantur teſtamenta & cætera inſtrumenta clauſa eo quem dicit* Paulus *modo, nec ſubſcribebantur iis temporibus quibus ſigna manum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

num ſupplebant. Si bene itaque mentem tuam dementem capio, hic tuus ſenſus eſſe videtur; ſignata tantum annulis teſtamenta eo tempore quo nondum ſubſcribebantur & cum ſigna manum ſupplebant. Hoc igitur expendamus. Primum in his quale ſit non poſſum dicere quod dicis, *teſtamenta ſignabantur & alia inſtrumenta clauſa*. An jam clauſa ſignabantur? Atqui putabam ſignari ſolita ut clauderentur; ita enim paſſim auctores *annulo claudere* & *annulo ſignare* pro eodem indifferenter uſurpant. Sed hæc parva ſunt & inſuper habenda in eo viro qui ſe vaſtitatem Juris immenſam jactat enavigaſſe. Nunc nobis hanc fac gratiam, ſi digni ea ſumus, ut nos doceas quando illud tempus fuerit quo ſigna in teſtamentis manum ſupplebant? à te illud notari dices, cum teſtamenta non ſubſcribebantur. Non dixiſti quod præcipue erat notandum quando iſtud fuerit tempus quo non ſubſcribebantur teſtamenta. Nam dum obſcurum per obſcurius explicas nec te nec nos extricas. Dicis eo ipſo tempore quo teſtamenta non ſubſcribebantur, & quo ſigna manum ſupplebant, annulis tantum ſignata fuiſſe eo modo quem indicat Paulus. Aliquam lucem jam in tuis verbis videmus quam ipſi fecimus, nam in tua mente nulla prorſus lux fuit cum hæc ſcriberes,

nulla

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

nulla harum rerum intelligentia. Quod faxo jam fatearis vel invitus, aut ſaltem id omnes homines videant, te quamlibet non fatente. Ad illud tempus veniamus quo Paulus ſcribit Ampliſſimum ordinem decreviſſe teſtamenti tabulas & aliam quamcunque ſcripturam qua publici qua privati contractus eo modo ſignari quem ibi deſcribit Paulus. Ergo eo tempore vult dupondius legulejus ſigna manum ſuppleviſſe in Teſtamentis faciendis & non ſubſcripta tunc fuiſſe. Sed reſpondeat mihi, an nec ſcribebantur tunc manu teſtatoris? Si ſcribebantur, nonne tunc etiam manus fidem faciebat, haud ſola ſigna? Quid requiris ſubſcriptionem ubi tota ſcriptura chirographo teſtatoris conſtat? Quis autem tibi dixit, ô inficetum caput, eo tempore quo Senatuſconſultum illud conditum eſt, de quo Paulus ait, non ſubſcribi ſolita teſtamenta? In titulo ad legem Corneliam teſtamentariam, quæ & de falſis erat, hujus S. C. Paulus mentionem facit. Legis illius Auctor fuit Cornelius Sylla. Sed Senatuſconſultum illud ſub Nerone demum factum eſſe Suetonius fide dignus auctor ſcribit. Ideo autem hujus S. C. cum ad legem Corneliam de falſis, ſive teſtamentariam, ſcriberet Paulus, meminit, quia contra Falſarios factum eſt, & quia genera omnia falſi, quorum non

extabat

extabat nominatim mentio in lege Cornelia poſterioribus Senatuſconſultis, ad eam pertinere judicatum eſt & legis ejuſdem pœna teneri. Imo cum diſertè ea legè qui *teſtamentum dolo malo reſignaviſſet, deleviſſet, quodve ſignum adulterinum exſculpſiſſet, feciſſet aut expreßiſſet*, falſi pœnam incurreret; contra hujuſmodi falſarios qui teſtamenta & alia inſtrumenta dolo malo reſignabant & ſigna adulterina conficiebant, Neronis temporibus factum eſt illud Senatuſconſultum, cujus meminit Paulus titulo ad legem Corneliam teſtamentariam. His poſitis nunc videamus ea teſtamenta de quibus intellexit decretum illud Senatus, & quæ ad eum modum ſignanda præcepit ut verbis ejus continetur, utrum ad jus civile pertineant an ad prætorium? Non eſſe id dubium reſpondebit homo noſter, & jam id ſcripſit. Prætorem cum mutata teſtamentorum forma jure civili introducta, non aliud poſtulaſſe quam ſeptem Quiritum ſigna quæ jure civili non erant neceſſaria. De hoc an ita fuerit, poſtea viderimus. Nunc id agamus an verum ſit, teſtamenta eo modo ſignata fuiſſe quo narrat Paulus, ſed non ſubſcripta, quia ſigna manum ſupplebant. Primum illud falſum eſt ſigna tunc temporis manum ſuppleviſſe, cum tota jam tum ſcribi Teſtatoris manu ſolerent,

ſolerent, ut de Auguſti & Tiberii teſtamentis ſcribit Suetonius, qui cum duobus codicibus ſive exemplaribus teſtamenta confeciſſent, alterum manu ſua, alterum liberti ſcripſerant. Deinde etiam illud falſum, eo modo ſignata ſemper fuiſſe teſtamenta quem ex illo Senatuſconſulto deſcribit Paulus, quandiu non ſubſcribebantur, cum ex illius Senatus decreto ea forma ſignandi introducta ſit quæ antea in uſu non erat. Ut nimirum perforatis in ſummo margine tabulis, triplici per foramen trajecto lino obligarentur. Quod & clare perſcripſit Suetonius in Nerone his verbis: *Adverſus falſarios tunc primum repertum ne tabulæ niſi pertuſæ ac ter lino per foramina trajecto obſignarentur.* Ergo ante hoc Senatuſconſultum de quo Paulus & de quo Suetonius, nec perforatæ tabulę, nec triplici lino per foramina trajecto obſignabantur, ſed ſimplici, ac ſimpliciter tabulis integris atque non perforatis circumligato. Nam *pertuſas* dixit Suetonius quas Paulus *perforatas. pertundo* enim idem ſignificavit veteribus quod perforo. Unde Dea *Pertunda* in nuptiis: & *pertuſa lana* Perſio, quam vulgo dicimus *veſtem foratam*. Et Servio *pertuſæ margaritæ*, quæ ſunt perforatæ ad lib. v. Æneid. Cicero nominat *obſignatores teſtamenti* in orationibus & epiſtolis. Alibi meminit & pluribus quidem

dem

dem locis, *obſignati teſtamenti.* Suetonius in Auguſto teſtamentum ejus ſignatum fuiſſe his verbis indicat: *Teſtamentum factum ab eo & duobus codicibus, depoſitumque apud virgines veſtales cum tribus ſignatis æque voluminibus protulerunt.* Teſtamenta igitur temporibus Ciceronis & Auguſti cum ſignarentur, non eo tamen modo ſignari ſolita conſtat, quo decrevit Ampliſſimus ordo ſub Nerone. Sed cum aliter Ciceronis ævo obſignarentur, utrum ex prætorii an ex civilis juris forma ſignata fuiſſe dicemus? Ulpianus in Titulis, ex tribus quæ cognita Romanis fuere teſtamenti faciendi generibus, unum ſua ætate adhuc ſolum in uſu fuiſſe ſcribit titulo de Teſtamentis, quod *per æs & libram* appellatum eſt, duobus reliquis abolitis & antiquatis, quorum alterum *calatis comitiis*, alterum *in procinctu* dicebatur. *Illis*, inquit, *duobus abolitis hodie ſolum in uſu eſt, quod per æs & libram fit.* id eſt, *per emancipationem imaginariam.* In eo genere teſtamenti, ut ibidem ſcribit, & notum eſt, libripens adhibebatur, & familiæ emptor, & non minus quam quinque teſtes cum quibus teſtamenti factio erat. Cum id genus Ulpiani ſeculo etiam tum in uſu eſſet & quidem ſolum, quid dicemus de eo quod jure prætorio introductum eſt? An non etiam tunc uſitatum fuit? Quid de Ciceronis ævo & Augu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſti? An teſtamenta eo tempore ſignata ad formam exigebantur prætorii juris? An ad civilis? Profecto ſi Ulpiani ævo teſtamentum quod per æs & libram jure civili fiebat, in uſu frequenti adhuc erat, & quidem etiam ſolum, ut autumat ipſe Vlpianus, multo magis de Ciceronis & Auguſti temporibus hoc dici debet. Quod autem obſignatorum teſtamentorum meminit Cicero, & Auguſti teſtamentum ſignatum fuiſſe tradit Suetonius, an ex eo argui debet ex juris prętorii præſcripto fuiſſe confecta, quaſi ſigna teſtium non eſſent neceſſaria in hoc genere Teſtamenti? Ita quidem ſcriptum eſt in Inſtitutis titulo de Teſtamentis ordinandis, non neceſſaria fuiſſe ſigna teſtium. Notandum dici *non neceſſaria*, quod & ipſum haud ſcio an vere dictum ſit à Triboniano. Certe impoſita etiam ex jure civili Teſtamentis teſtium ſigna, non ex Edicto prætoris introducta, perſuadet mihi Vlpianus eodem Titulo de Teſtamentis, ubi docet in teſtamento quod per æs & libram fiebat duas res agi ſolitas, *familiæ mancipationem* & *nuncupationem teſtamenti*. Hanc autem in hunc modum factam ſcribit; *Tabulas teſtamenti teſtator tenens ita dicit, Hæc ut in his Tabulis cériſque ſcripta ſunt ita dico, ita lego, ita teſtor, itaque vos Quirites teſtimonium perhibetote.* Quæ nuncupatio & teſtatio dicitur. Ex

quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

quibus plane liquet tabulas etiam in hoc teſtandi modo conſcriptas fuiſſe à Teſtatore: an non etiam ſignatas? Hoc videntur innuere, quæ dicebat teſtator coram teſtibus, *Hæc ut in his Tabulis ceriſque ſcripta ſunt.* Per ceras plane intellexit exteriores quibus ſigna erant impreſſa. Et quas dicit S.C. apud Paulum *fidem interioribus ſervaſſe.* Quintilianus *ceras turbatas* dixit de iiſdem, quæ Paulo ſunt *turbata ſigna.* Non enim opus fuit de ceris interioribus, quibus inductæ erant illæ tabulæ, id intelligi, cum Tabularum appellatio id per ſe ſatis accipiendum eſſe inſinuaret. Prætor igitur cum mancipationem non deſideraret in ea teſtamenti faciendi forma, jure civili receptam, ſeptem teſtium ſigna pro quinque exegit, cum jure civili quinque ſufficerent, ſed minus eſſe non poſſent. Cæterum ideo numerum ſeptem ſignorum & teſtium eſſe voluit, quia in teſtamento quod per æs & libram fiebat, libripens & emptor familiæ duorum etiam teſtiũ locum tenuere. Non etiam probamus quod dicit Advocatus, *Prætorem abolim teſtamentorum forma jure civili introducta aliam introduxiſſe ſublatis juris civilis imaginibus.* Ex Edicto quidem Prætoris forma hæc faciendorum teſtamentorum introducta eſt, quæ ſeptem teſtibus contenta fuit, ſeptemque teſtium ſignis ſine ulla mancipatione ima-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ginaria & nuncupatione; ſed non hæc mutatio ita proceſſit ut Prætor ſuo edicto eam inſtituerit, & antiquam jure civili receptam aboleverit. Nam cum Ulpiani ætate adhuc vigeret, & tamen multo ante id tempus, ut Ciceronis ævo, prætorii teſtamenti ratio valeret, ex eo videtur per deſuetudinem potius ſenſim exoleviſſe; quod Prætores Edicto ſuo ea teſtamenta probarent, quæ nec mancipationem haberent nec nuncupationem, modo ſeptem ſignis teſtium ſignata eſſent. Etenim cum jure civili irritum eſſet & nullum teſtamentum, quod non libripende adhibito & bonorum emptore celebratum eſſet, Prætor nihilominus ſcriptis hæredibus ſecundum tabulas bonorum poſſeſſionem dabat, quamvis teſtator nec mancipationem in eo feciſſet nec nuncupationem, prout à jure civili deſiderabatur, ſi teſtium ſeptem ſignis eſſet ſignatum. Hoc clare docet Ulpianus his verbis Tit. Quomodo teſtamenta rumpantur. *Si ſeptem*, inquit, *ſignis teſtium ſignatum ſit teſtamentum, licet jure civili ruptum & irritum, Prætor ſcriptis hæredibus juxta tabulas bonorum poſſeſſionem dabat, ſi teſtator & civis Romanus, & ſuæ poteſtatis cum moreretur fuit, quæ bonorum poſſeſſio cum re id eſt effectu habetur, ſi nemo alius jure hæres ſit.* Cum igitur faveret Prætor ejuſmodi teſtamentis quæ moroſas illas juris civilis

vilis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

vilis & imaginarias ſollemnitates non haberent, & hæredibus hoc modo inſtitutis bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas daret, ea re paulatim exolevere juris civilis teſtationes, ſolæque remanſerunt quas jus honorarium eo quem dixi modo introduxerat. Conſtat tamen Ulpiani ætate Teſtamenti illud genus quod per æs & libram fiebat in uſu communi fuiſſe. Certum eſt etiam tabulas in eo genere teſtamenti confectas fuiſſe, & ſignatas; adeo ut incertum habeam utrum Teſtamenta qualia Cicero ætate ſua obſignata meminit, & *teſtamentum* Auguſti *ſignatum*, ad Senatuſconſultum illud Neronis tempore factum pertineant quo decretum eſt tabulas teſtamenti adhibitis teſtibus ita ſignari, ut in ſumma margine ad mediam partem perforatæ triplici lino conſtringerentur, & impoſitæ ſupra linum ceræ ſigna imprimerentur, & utrum ad jus Prætorium, an ad jus civile referri debeant. Nemo quippe me poteſt plene docere, an ad illud potius quã ad hoc referenda ſint. Nam ſi cum Ulpianus ea ſcribebat, eæ juris civilis teſtationes cum mancipatione & nuncupatione per æs & libram faciendæ multo in uſu erant, Neronis etiam imperio & Auguſti magis veri ſimile eſt fuiſſe concelebratas, & de his potius Senatus illud decretum factum quam de illis quæ Prætor recipiebat,

quamvis propter defectum ſollemnitatum jure civili eſſent irrita.

CAP. XXI.

De voce ſubſcriptio, *quot modis olim accepta ſit, & quid proprie ſignificarit. Nullas fuiſſe antiquitus nudi nominis ſubſcriptiones. Vnde illæ in uſum & morem venerint. Quando ſubſcriptiones teſtium inter teſtamentorum ſollemnia adhibitæ ſint. Alia multa notata eodem pertinentia. Adſcribere ſe & annotare idem quod ſubſcribere & ſubſignare.*

NUnc videndum de ſubſcriptionibus teſtium & teſtatoris, quas ex conſtitutionibus Imperatorum in teſtamentis faciendis adhibitas tandem fuiſſe Tribonianus in inſtitutis ſcripſit. Eas ad majorem fidem inventas hic dicit Tribonianus alter noſtri temporis, ſive potius Turbonianus, quemadmodum ſe dixiſſe ait Num. præcedenti. At ibi de holographa epiſtolarum ſcriptura loquebatur non de ſola ſubſcriptione. Si paria voluit facere utrumque, nonne ſatis fuit ſi teſtamentum totum manu teſtatoris ſcriberetur ut epiſtola? Has autem ſubſcriptiones ait Salmaſium *valde turbaſſe, feciſſeque ut in legibus quibuſdam & aliis ſcriptorum locis graſſaretur miris exemplis, nec jam de ſignis amplius laboraret, ſed de ſubſcriptionibus, quas ad ea ipſa ſecula retro trahebat, quibus ſigna pro manu erant, ut mox,* inquit, *videbimus.* Ergo id

id videbimus, & utrum Salmaſium turbarint hæ ſubſcriptiones, an turbatas à Doctoribus & ab hoc nebulone turbatiores factas & minime intellectas, in liquido locaverit. Turbidæ ipſæ an liquidæ res fuant, nullo habet diſcrimine, & tempora vetuſta cum recentibus, utraque cum mediis miſere confundit, dum dente Theonino arrodat quæ non poteſt concoquere unice ſecurus. Dicam primo vocem *ſubſcriptionis* nullos hactenus Juris Doctores aſſequutos fuiſſe quomodo & quo ſenſu antiqui qua Juriſconſulti, qua alii auctores eam uſurparint, rumpantur licet ilia inſcito Codro. Quod enim putarunt omnes eo vocabulo veteres *ſubſcriptionem* dixiſſe pro nomine ſubjecto alicui ſcripto: certum eſt antiquos nulli omnino ſcripturæ neque teſtamentariæ, neque chirographariæ, neque ſyngraphariæ, neque epiſtolari, non publicæ non privatæ, nomina ſua nuda ſubjicere, ſubſignare & ſubſcribere ſolitos, ut nunc facimus. Nec igitur umquam *ſubſcribere* in ea ſignificatione poſuerunt, pro nomen ſuum ſubjungere ſcripto præmiſſo. Falſum itaque quod in ſuis Lexicis interpretantur, *Chirographum* eſſe *ſcripturam privatam manu cujuſque ſubſcriptam ſubſignatamque.* Scriptura privata eſt cujuſque manu facta. Falſum eſt quod vir ſummus & Juriſconſultus maxi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

mus Cujacius, ſubſcriptiones criminum inde dictas interpretatur, quod accuſator ederet libellum ſua manu ſubſcriptum contra eum quem reum peragere coram judice volebat. Et ſic inſcriptionem & ſubſcriptionem eandem eſſe notat in Paratitlis ad leg. II. D. de accuſationibus & inſcriptionibus. Nec minus à veritate abeſt longe, quod volunt *ſubſcriptiones* in antiqua condendorum teſtamentorum formula, nihil aliud fuiſſe quam teſtium nuda nomina teſtationi in ſcripto præmiſſæ ſubjecta ac ſubſcripta. *Subſcribere* apud gentem olim togatam nihil aliud fuit quam adſcribere aliquid ſcriptioni jam præmiſſæ, & poſt aliquam ſcripturam quæ præceſſit, aliam ſubjicere. Sic apud Ciceronem in epiſtolis, qui exemplo alienæ Epiſtolæ ad amicum miſſo aliquid de ſuo adſcribit & ſubjicit, eidem exemplo *ſubſcribere* ea dicitur quæ adſcribit. Sic enim lib. VIII. Epiſt. VI. *litteras tibi à L. Domitio allatas ad* XII. *Kalendas Martii, earumque exemplo ſubſcripſeram, ſcripſeramque.* In Jure *ſubſcriptiones principum* dicuntur reſponſa eorum vel reſcriptiones ad libellos ſupplices à præſentibus ſibi oblatos. *Subſcriptio rationum* vocata eſt quam faciebat dominus, cum rationes à ſervo ſibi oblatas perlegiſſet, examinaſſet, computaſſet & exploraſſet utrum imputationes bene an ſecus

factæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

factæ eſſent & accepta rectè relata, tum ſua manu ſolebat adſcribere verba quibus rectè eas rationes ſibi redditas teſtaretur. *Subſcriptio* in criminalibus non erat eadem cum *inſcriptione*, ut perperam hactenus maxima pars doctorum credidit, ſed tantum intereſt diſcriminis inter *inſcriptionem* & *ſubſcriptionem*, quantum inter *inſtitutionem* hæredis & *ſubſtitutionem*. Ut enim *inſtitutio* primi eſt hæredis, ſubſtitutio autem quæ poſt inſtitutionem à teſtatore fieri ſolet, eſt *ſecundi hæredis appellatio*, ut definivit Gajus, ita *inſcriptio* prima & principalis eſt accuſatoris, *ſubſcriptio* autem ejus qui ſe ſocium & adjutorem præbet in accuſando & peragendo reo, quia poſt inſcriptionem libelli ab accuſatore editi in eodem ſubſcribit ſimiliter, ad eumdem reum deferendum. Is cujus inſcriptio eſt, ſuo nomine id agit; cujus ſubſcriptio eſt, ſecundi loci eſt accuſator, qui alterius voluntati in aliquo accuſando inſervit, tanquam accuſatoris primarii adjutor, quem *ſubſcriptorem* appellatum eſſe notavit Aſconius. Libellorum inſcriptionis hæc erat conceptio, ut in leg. 11. habetur D. de inſcriptionibus & accuſationibus. *Apud illum Prætorem Lucius Titius profeſſus eſt ſe Mæviam lege Iulia de adulterio ream deferre.* Conſulem & diem debebat adnotare. Subſcriptionis vero talis in eodem libello, inſcrip-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

tioni ſubjectę. *Apud illum Prætorem, Gajus Sempronius ſimiliter profeſſus eſt ſe eandem Mæviam lege de adulteris ream deferre.* Hinc illæ loquutiones per tralationem ductæ, ſubſcribere alterius voto, iræ, ſententiæ. Hanc porro differentiam inſcriptionis & ſubſcriptionis recte his verbis expoſuit auctor vitæ Pomponii Attici ſivę is Cornelius eſt Nepos, ſive alius: *Neminem ſuo nomine neque ſubſcribens accuſavit.* Hoc eſt neque inſcriptionem contra quenquam edidit criminis, neq; ſubſcriptionem. Deſinant igitur poſthac Doctorculi majorum gentium Doctoribus ſubſcribere, dum *ſubſcriptionem* in crimen interpretantur *inſcriptionem.* Quocunque porro modo *ſubſcriptio* diceretur aut fieret, numquam nudum nomen ſubſcribentis ſuppoſitum habuit, ſed ſemper aliquot aut plurium verborum adnotationem. Imperatores tam Orientis quam Occidentis Conſtantini Magni ſucceſſores reſcriptis & conſtitutionibus ſuis ita ſubſcribere ſolebant: *& manu divina*, DIVINITAS TE SERVET PERMVLTOS ANNOS. Aut hoc modo: *Et manu divina*, OPTAMVS VOS FELICISSIMOS. Nomina vero ſua non ſubſcribebant. Quæſtor ſubſcriptioni illi Principis ſuam ſubſcribebat, ad hunc modum, Quæſtor ὁ δεῖνα, legi, diemque addebat, ut & ipſe Imperator.

Nulla

Nulla cum ſubſcriptione ſigilli appoſitio vel appenſio, ut poſtea invaluit ſub infimi Imperii Conſtantinopolitani Cæſaribus. Hi autem ita ſubſcribere ſoliti, *Μανουὴλ ἐν Χριστῷ τῷ θεῷ πιστὸς βασιλεὺς Πορφυρογέννητος, καὶ αὐτοκράτωρ Ῥωμαίων ὁ Κομνηνός.* Subter hanc ſubſcriptionem ſigillum ſerico filo purpureo pendens apponebatur ad firmandam fidem reſcripti. Quod à barbaris gentibus quæ Europam occuparunt, introductum infra docebimus. Pro illis quæ ſubſcribebat Quæſtor in antiquis conſtitutionibus, QVÆSTOR LEGI, nomine ipſius Quæſtoris appoſito, in iſtis Græcis ſcribi ſolebat, *διὰ τοῦ λογοθέτου τοῦ δρόμου, τοῦ ἁγιοθεοδωρήτου Μιχαήλ.* Et pro illis Latinis veterum reſcriptorum DATA SVBSCRIPTA, iſta in Græcis ac recentioribus ponebantur, *ἀπελύθη μηνὶ Ἰουλίῳ ἰνδικτιῶνος τετάρτης.* In occidente autem ſub regibus Gotthis nomen regis ſolum ſubſcribebatur, & quidem non integris litteris ac totis expreſſum, ſed monogrammate, eo prorſus modo, quo non ſolum nomina propria antiqui notarii ſcribere conſueverant, ſed etiam quæcunque vocabula, quæ notis excipiebantur. Nam priores litteras vocis implexas & connexas invicem ſignabant cum punctis aliquot. Ita tum nomen ſuum Reges in Italia ſubſcribebant, una quaſi littera ſive *μονο-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

χάμμαλι, quod litteris paucis & nomine adumbratum erat vel figuratum. Exempli gratia. Theodorici nomen quattuor tantum litteris conſtabat, ut ex his Anonymi liquet quem ſub finem Ammiani Doctiſſimus Valeſius edidit, *Rex*, inquit, *Theodoricus illiteratus erat, & ſic obbruto ſenſu, ut in decem annos regni ſui quattuor litteras ſubſcriptionis Edicti ſui nullatenus diſcere potuiſſet. de qua laminā auream jußit interaſilem fieri, quattuor litteras regis habentem, unde ut ſi ſubſcribere voluiſſet poſita lamina ſuper chartam per eam pennam duceret & ſubſcriptio ejus tantum videretur.* Ita per illa ſecula Francorum reges ſubſcribebant, & Papæ ipſi nominis ſui monogrammate aliquot litteris implicatis & connexis notato, ut alibi pluribus oſtendam. Ab illis barbaris fluxit ea conſuetudo paſſim per totam Europam poſtea recepta, qua non ſolum privati omnes Epiſtolis & contractibus nomen ſuum nudū ſubſcribunt, ſed etiam reges diplomatis & reſcriptis. Quod apud Romanos numquam in more fuit. Subſcriptiones teſtium in teſtamentis non paucioribus verbis erant conceptæ quam his, *Ego Lucius Titius Gaii Sempronii teſtamentum ſubſcripſi.* Has teſtium porro ſubſcriptiones à principum Conſtitutionibus manaſſe tradit Tribonianus in Inſtitutis. Sed quæritur quis Cęſarum eas inſtituerit & quo tempore id inſtitutum fuerit.

rit.

rit. Quod ad ipſum verbum attinet *ſubſcritionis* aut *ſubſcribendi*, non legitur in Digeſtis. Duo tantum loci habentur quibus mentio extet non quidem *ſubſcribendi* teſtamenti à teſtibus, ſed *nominis adſcribendi*, aut proprii chirographi adnotandi, quis & cujus teſtamentum ſubſignaret. Prior locus eſt leg. XXII D. qui teſtamenta. quæ verba ſunt Ulpiani in lib. XXXIX ad Edictum: *Si quis*, inquit, *ex teſtibus nomen ſuum non adſcripſerit, verumtamen ſignaverit, pro eo eſt atque ſi adhibitus non eſſet. Et ſi, ut multi faciunt, adſcripſerit ſe, non tamen ſignaverit, adhuc idem dicemus.* Hic plane dicit, multos tunc temporis teſtes in teſtamentis adhibitos ſe adſcribere tantum ſolitos, non etiam ſignare. Alii ſignabant tantum teſtamentum, non etiam nomen ſuum adſcribebant. Vtrumque requirit Juriſconſultus, ut & teſtes nomen ſuum adſcribant & ſignent. Ex conſtitutione aliqua Principis id ſancitum eſſe non dicit. Nec ſane veriſimile eſt, cum addat de his teſtibus qui ſe adſcriberent non tamen ſignarent multos tunc temporis id facere conſuetos. Quibus oſtendit vererem fuiſſe morem, ut teſtes ſe adſcriberent non ab aliqua tum nuper ſancita Cæſaris lege. Quod ſi ulla extitiſſet, non potuiſſet eſſe antiquioris quam Antonini Pii. Nō enim anterioris Principis conſtitutio in codicē Juſtiniani relata extat.

Qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Qui vitam ejus ſcripſerunt, nihil tale ab eo de ordinandis teſtamentis conſtitutum memorant uſque ad Alexandrum Mammeæ, ſub quo vixere Ulpianus & Paulus. Nullam autem ab eo principe editam ejuſmodi conſtitutionem, ipſe Ulpianus illis quæ citavimus verbis, ſignificat. Quod *adſcribere ſe*, aut *nomen ſuum* Ulpianus in ea lege dixit, hoc Paulo leg. penult. D. eodem, *adnotare proprio chirographo quis & cujus teſtamentum ſignaverit.* Sic enim ait: *Singulos teſtes qui in teſtamento adhibentur, proprio chirographo adnotare convenit, quis & cujus teſtamentum ſignaverit.* De verbo *ſubſcribendi* controverſiam hîc non facio, cum is qui ſubſcribit aliquid ſcripto, id etiam *adſcribere* dicatur; nam & idem Paulus leg. XXXIX de verborum ſignificatione *adſcriptionem* videtur poſuiſſe pro ſubſcriptione, his verbis, *Subſignatum dicitur quod ab aliquo ſubſcriptum eſt, nam veteres ſubſignationis verbo pro adſcriptione uti ſolebant.* Ex quibus liquet, *Subſcribere, adſcribere & ſubſignare* idem ſignificare. De eo tamen loco Pauli nos adhuc infra. Poſt Conſtantinum *ſubſcribendi* vocabula & *ſubſcriptionis* ita in uſu eſſe cœperunt, ut numquam aliter loquuti ſint auctores. Quinimo & *ſubſcriptores* dicti ſunt qui prioribus Latinitatis ſeculis *obſignatores* & *ſignatores* vocabantur, teſtes nempe qui ad ſubſcribendum & ſignandum teſtamen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſtamentum adhibebantur. Plures ſunt leges in Digeſtis quæ ſignatores nominant: & præterea multi claſſici auctores ut Saluſtius, Cicero, Valerius Maximus, Tacitus, Suetonius, alii. Quod *ſignatores* autem vocentur abſolute, ex eo quis poſſet arguere ſignata tantum illis temporibus à teſtibus fuiſſe teſtamenta, non tamen ſubſcripta. Quod tamen aliter ſe habet. Nam & Ulpianus & Paulus ita nominarunt, qui tamen ſubſcribendi à teſtibus teſtamenti mentionem faciunt. Sic enim vocantur leg. III. D. de tabulis exhibendis. Item leg. IX. VI. VII. D. Teſtamenta. Eodem argumento probari poſſet non ſignari ſolita cum *ſubſcriptores* appellati ſunt teſtes, qui antea *ſignatores* dicebantur. Ita ſane Anianus vocat ad Pauli ſentent. l. III. Tit. IV. *Inter reliquos ſubſcriptiores qui ad teſtamentũ adhibentur, poteſt & ipſe qui latine neſcit adhiberi.* Paulus ſimpliciter dixerat, *Ex his qui ad teſtamentum teſtes adhibentur.* Cum hæc ita ſint, fruſtra tamen quæſitum exiſtimo à doctis quo tempore aut à quo primum Principe teſtium ſubſcriptio introducta ſit, cum certum habeam conſtitutiones illas emendatiores & ſacras, ex quarum obſervatione *ſubſcriptiones teſtatoris & teſtium adhibentur*, ut diſerte habetur in inſtitutis Tit. de Teſtamentis ordinandis, de codice intelligi debere. Quod miror non fuiſſe

ani-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

animadverſum à tot Juriſconſultis qui in locum illum Inſtitutionum Notas aut commentarios ſcripſerunt. Non enim una aliqua conſtitutio Imperatoris intelligenda eſt, ſed corpus ſive codex conſtitutionum quo ſancitum eſt, non ſolum ſubſcriptiones teſtium, ſed etiam ipſius teſtatoris eſſe neceſſariam in teſtamentis faciendis. Ita quippe à Theodoſio conſtitutum leg. XXI. Cod. de Teſtamentis. Sic idem Iuſtinianus Tit. ſequente de Teſtamento militari per *anteriores leges* Digeſta intellexit, ut obſervatum eſt à Cujacio, per *conſtitutionem Principum*, Codicem; ubi de caſtrenſi peculio & quaſi caſtrenſi agit. Certum quidem eſt anterioribus legibus teſtium adſcriptionem, ut ibi vocatur, & adnotationem in uſu fuiſſe, ſed cum alii teſtium ex more ſe adſcriberent, qui non ſignarent, alii ſignarent teſtamenta qui ſuum nomen non adſcriberent; Conſtitutione illa Theodoſii, quã in ſuum codicem retulit Juſtinianus, ſtatutum eſt ut non ſolum teſtium ſubſcriptiones, ſed etiam teſtatoris ipſius neceſſario eſſent adhibendæ. Antiquam tamen illam fuiſſe teſtium ſubſignationem vel locus Suetonii in Nerone indicat quem mox explicabimus. Eamque etiam longe antiquiſſimam aſſerunt & jure etiam Civili receptam, quæ ſupra diximus. Nam qui putant nec obſignationem

nec

nec ſubſcriptionem neque item ſcripturam jure civili, quo per æs & libram teſtamentum fiebat, fuiſſe neceſſariam, longe errant mea quidem ſententia. De obſignatione conſtat ex verbis Ulpiani cum formam explicat teſtamenti faciendi per æs & libram, ubi ſcribit teſtatorem tabulas teſtamenti tenentem ita dixiſſe, *Hæc ut in his Tabulis ceriſque ſcripta ſunt.* Quæ omnino indicant obſignatas eas fuiſſe tabulas. Nam ceræ ibi ſunt exteriores quibus ſigna imprimebantur; Et cum teſtibus præſentibus diceretur, *Itaque vos Quirites teſtimonium perhibetote.* Quæ teſtatio & nuncupatio, inquit Ulpianus, vocabatur. Ex quibus etiam probabile eſt teſtes illos quos faciebat teſtator & quos rogabat ut teſtimonium perhiberent, adſcripſiſſe nomē ſuum tabulis. Certe ex loco Suetonii colligere eſt, longe ante Neronis principatum hunc etiam morem tenuiſſe, ut teſtes ſubſignarent teſtamentum. Nihil enim illo Senatusconſulto novatum eſt ab antiquo jure niſi quod conſtitutum eſt ut primæ duæ ceræ vacuæ ſubſignaturis oſtenderentur. Subſignabant ergo etiam antea teſtes. Sed nec obſignatio teſtium ex Edicto prætoris introducta eſt, ſed à jure civili, cum certum ſit nuncupationem quæ eo jure fiebat, nec ſine ſcriptura fuiſſe, nec ſine obſignatione, nec teſtium ſubſignatione. Et cum memi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

meminit Cicero III. Verrina, tabularum teſtamenti obſignatarum è lege, non intelligit legem Corneliam. Non enim illa introduxit obſignare teſtamenta, ſed tantum pœnam ſanxit in eos qui teſtamentum *dolo malo reſignaviſſet*. Ex quo clarum eſt ante illam legem teſtamenta obſignari ſolita. Non enim pœnam falſi in eos conſtituiſſet qui teſtamenta dolo malo reſignaſſent, ſi tum obſignata non fuiſſent. Sed conſtitutiones principum medii Imperii ad plenum confirmarunt teſtium ſubſcriptiones, cum antea multi teſtes, teſte etiam Ulpiano, ſe adſcriberent in teſtamentis, qui tamen ea non ſignarent. Atque hæc hactenus de ſubſcriptionibus, quæ noſter Aſinus neſcivit, nec grandiores eo muli, quibus ſua deliria audio eum recitaſſe.

CAP. XXII.

Suetonii locus de tabulis teſtamenti ex Senatus decreto perforandis, & triplici lino trajiciendis & conſtringendis, explicatus. Non triplex foramen, ſed unum in illis tabulis tum factum. Delirantis Heraldi ſomnia diſcuſſa.

VT ſciremus quantus ſit Juriſconſultus, & quantum verſatus in omni antiquitate juris & litteraturæ, ita nobis ogganire incipit. *Cum ſignis*, inquit, *olim adverſus falſarios parum cautum eſſet*, *Suetonius* ſub Nerone

pri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

primum repertum ſcribit, *ne tabulæ niſi pertuſæ ac ter lino per foramina trajecto obſignarentur.* Deinde hæc ſtatim ſubjicit. Dicit, *primum repertum*, nempe ab ampliſſimo ordine, ut dicit Paulus. Mira certe & nova hic Doctor piſtrini nos docet. Et cui non cantatus hic Hylas? Nonne & hoc ipſum Salmaſius notaverat? Sed quæ ſequuntur ipſius propria ſunt, non aliena. Ne quis credat ab alio furatum eſſe. *Non ſolum teſtamenta, ſed & cæteri contractus ita ſignabantur, qui mos diu duravit & ad noſtra pene tempora, ita ut non paucos contractus ita ſignatos viderimus, quorum nonnullis ſignatorum ſigilla appenſa adhuc extabant, quædam prorſus integra.* Non mehercule montes auri meream ut à te hæc ita ſcripta viderem. Vbi ſunt qui negant te intellexiſſe quomodo veteres teſtamenta ſua ſignarent? Unus repertus es hoc ſeculo qui hoc arcanum hactenus clauſum & conditum nobis aperires. Bene tibi ſit, ita bonus vir es & bene doctus. Ergo in illis contractibus quos vidiſti cum ſigillis appenſis, videre te putaſti imaginem expreſſam teſtamentorum veterum quomodo olim obſignari ſolebant? Scilicet hoc etiam deprehendiſti in verbis Senatusconſulti quod Paulus produxit. Vbi enim ſine dubio ceræ ſupra linum quo conſtringebantur teſtamenti tabulæ impoſitæ, ſigna impreſſa tibi

viſa ſunt eadem eſſe cum ſigillis illis appenſis quæ notaſti in contractibus. Illi etiam contractus quos vidiſti, ſcripti erant in tabulis ceratis, ut illæ tabulæ publicæ privatæque de quibus ordo ampliſſimus hoc decernebat. Fortaſſe & perforatæ erant illæ membranæ quæ in manus tuas venerunt, & per illa foramina triplex filum trajectum: Sigilla etiam quæ appenſa ibi viſebantur, annulo aliquo ſignatorio & in digito geſtari ſolito impreſſa fuere. Nonne & in illis contractibus duæ primæ ceræ tibi apparuerunt, quibus nomen inſcriptum erat teſtatoris, ut narrat ibi Suetonius? Quod ais morem illum diu duraſſe & ad noſtra pene tempora perlatum, in ceratis nimirum tabulis ſcribendi, lino eas conſtringendi triplici, ſupra linum ceræ impoſitæ ſigna imprimendi; an hoc voluiſti? Juſtiniano imperante, mos quidem ille viguit in Romano Imperio, lino conſtringendi tabulas & ſupra linum ſigna imprimendi, quamvis nullæ tum tabulæ ceratæ in uſu fuerunt, ſed ſolæ chartæ vel membranæ. Sed in aliis locis Europæ, quos Franci, Gotthi, Vandali aliique barbari tenuere, alia forma obtinuit, ut infra dicam. Membranarum ſub Juſtiniano & chartarum ad contractus & inſtrumenta omnis generis conficienda uſum fuiſſe, nemo eſt paulo peritior qui

qui neſciat. Vnde & ipſe ſanxit Novell. XLIV ut *Tabelliones non ſcriberent inſtrumenta in aliis chartis quam in his quæ protocolla habent.* Tempore autem Neronis tam inſtrumentis ſcribendis quam aliis contractuum inſtrumentis, imo & epiſtolis, quæ miſſitarentur non longe, non membranæ, non chartæ serviebant, ſed ſolæ tabulæ & tabellulæ cera inductæ, in quibus ſtilo ferreo exarabantur litteræ. De Sigillis autem appenſis nos paulo poſt, quæ errore plusquam puerili grandis natu aſinus & delirum pecus cum ſignis annulo factis & ceræ impoſitæ lino quo ſtrictæ colligatæque erant tabulæ impreſſis confundit. Dicis porro quærere Salmaſium pag. CCCCLIII & CCCCLIV. *An tria foramina fierent, ut totidem lina trajicerentur, quibus conſtringebantur tabulæ, ac putare ſe unicum tantum fuiſſe foramen per quod ter linum trajiceretur.* Modeſtè ſic illum reſpondere gratularis, & velles ut ita ſemper. Gratias pro illo ago quantum poſſum maximas. Tu etiam hic valde moderate agis. Non noveram noſtrum tam clementem. Sed ais tamen in ea re longe falli Salmaſium, *ut apparebit.* Pace tua dixerim, nondum hoc mihi apparuit. Nec in iſto libro quicquam ea de re dixiſti. An quia numero ſequente ex Durando neſcio quas nugas de chordulis & foraminibus in charta vel membrana plicata factis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

deblateraſti, ideo te ſatis evidenter probaſſe exiſtimas non unum foramen, ſed tria in tabulis teſtamenti fieri conſtituiſſe Ampliſſimum ordinem? Non ero tam modeſtus ut Salmaſius tunc fuit, & dicam aſſeveranter, pecuina ſtoliditate præditum illum eſſe oportere qui aliter verba Suetonii & Pauli interpretetur quam de uno foramine. In Pauli verbis ſic habetur, *Ampliſſimus ordo decrevit eas tabulas quæ publici vel privati contractus ſcripturam continent, adhibitis teſtibus ita ſignari, ut in ſumma margine ad mediam partem perforatæ triplici lino conſtringantur.* Perforatas dicit, id eſt ſemel & uno foramine non triplici. Quis enim aliter poſſet accipere? Nam ſi de terno intellexiſſet, an cuiquam dubium eſt quin dicturus fuiſſet, *ut tabulæ ter perforatæ triplici lino conſtringantur*? Præterea quod ſcriptum eſt de *triplici lino*, per unum foramen triplex illud linum trajectum fuiſſe facile colligitur. Alias ſcripſiſſet trina lina per tria foramina eſſe trajicienda. Poſtremo ſi tria foramina in tabulis fieri voluiſſet Senatus, ita ea digeſſiſſet ut unum in ſummo tabularũ, alterum in medio, tertium in imo faciendum decerneret. Nunc cum ſtatuerit ad mediam partem perforatas fieri & in ſumma margine partis mediȩ, de uno foramine accipi debere nemo non videat. Denique Suetonii verba non aliam mentem induere poſſunt, *ne tabulæ*

bulæ niſi pertuſæ, nempe uno foramine. Nam ſi tria voluiſſet, id exprimendum numero fuit. Sed ſequitur apud Suetonium, *ac ter lino per foramina trajecto*; ergo tria foramina. Nihil minus. Sed intelligit duo foramina in duabus tabulis facta. Duplices enim illæ tabulæ fuere ac δίπτυχοι & quidem ligneæ. Cum igitur perforandę eſſent, duo omnino foramina facienda fuere in ſingulis tabulis ſive σανιδίοις unum. Inde eſt quod *Tabulæ* dicuntur numero plurali, non ſingulari *tabula*, quæ una eſt σανίς. Pone non duplices, ſed triplices & quincuplices fuiſſe ut πολύπτυχα fuere, ſi perforantur in eodem loco, totidem quidem foramina exiſtunt quot ſunt tabulæ, ſed junctarum tamen invicem unum erit foramen per quod linum triplex trajicietur, vel unum linum ter.

CAP. XXIII.

Correctio Salmaſii defenſa qua aliquot locis partim auctorum Claſſicorum, partim juris, ſubſignare repoſuit pro ſignare. Signare latinum non eſſe pro ſubſignare, vel ſubſcribere, neque apud Iuriſconſultos uſquam reperiri, niſi cum vitio. Veterem fuiſſe morem ſubſcribendi in Teſtamentis. Non potuiſſe teſtes dicere ſe ſignaſſe cum ſubſcriberent, quia id nondum fecerant, poſt ſubſcriptionem nimirum faciendum. Ἀλογία *&* *imperitia Heraldi paſſim notata.*

MOveamus hinc pedem ad alia portenta monſtroſæ inſcitiæ profliganda, quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

nulla hoſtia procurari poſſent, quam aſini immolatione Lampſacio Deo. Cum Salmaſius non videret quomodo fieri poſſet, ut qui ſignaverant teſtamentum, poſſent in ſubſcribendo dicere ſe ſignaſſe, quod ex quibuſdam locis apparet, ideo ea illi ſuſpecta falſi viſa ſunt, *ſignare* in illis locis *ſubſignare* ſubſtituendum conjecit. Quod veritatis eſt adeo indubitatæ, ut nihil opponi contra poſſit niſi futile & nugatorium, & ſummam juris ac moris veteris ignorantiam redolens. *Signare* illis ſæculis Juriſconſultorum non aliud ſignificat quam ſigillare vel ſigna ceræ ad obſignandas tabulas imponere. *Subſignare* vero idem omnino eſt quod ſubſcribere. Hoc verbi ſubrogari debuit pro *ſignare* in illis auctorum & juriſprudentium locis, ubi non de ſignaculis agebatur teſtium, ſed de ſubſcriptione tantum. Animal hoc noſtrum Arcadicum ait hoc de *ipſis ſæculis dici quibus teſtes nondum ſubſcribebant.* Ain' tu imperitiæ proſtibulum? Nondum teſtes ſubſcribebant cum ſcripſit Paulus ea quæ leguntur leg. penult. D. Qui Teſtamenta, *Singulos teſtes qui in teſtamento adhibentur, proprio chirographo adnotare convenit, quis & cujus teſtamentum ſignaverit?* Nonne is eadem ætate vixit cum Ulpiano cujus legem paulo ante citaſti ex eodem Digeſtorum Tit. xxv, ut probares tum neceſſaria fuiſſe in teſta-

men-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

mentis teſtium ſubſcriptiones? Crediſne aliud hac lege dicere Paulum, quam illa Ulpianum? An aliud apud hunc adſcribere nomen ſuum, quam apud illum *adnotare quis & cujus teſtamentum ſignaverit?* Hoc eſt, ſuum & teſtatoris nomen adſcribere. *Signare* autem in hac lege Pauli non poteſt aliter accipi quam pro ſubſcribere. Stultum quippe eſſet atque etiam falſum, ut quis in ſubſcribendo teſtis diceret ſe teſtamentum Sempronii ſignaſſe quod nondum erat ſignatum quod ultimum fuit in teſtamentorum confectione. Atqui *ſignare* eo ſæculo numquam lectum eſt pro ſubſcribere vel ſubſignare. Nihil reſpondiſti ad id quod Salmaſius notavit, Baſilicorum interpretes eam legẽ ita Græce reddidiſſe ut conſtet eos *ſignare* ibi accepiſſe pro ſubſcribere vel *ſubſignare*. Nec ſane aliter potuerant. Non enim poſſunt verba legis aliũ ſenſum recipere. At puto eos juris fuiſſe intelligentiores quam centum Heraldos, id eſt centum advocatos qui ſinguli non plus ſcientiæ in jure obtinerent quam unus ille aſinus Heraldi cute circumtectus. Verba Βασιλικῶν interpretum hæc ſunt, quibus eam Pauli legem in Græcum ſermonem verterunt: ἕκαστος τῶν μαρτυρῶν ἰδιοχείρως δηλούτω τίς καὶ τινὸς τὴν διαθήκην ὑπέγραψε. Cur hæc diſſimulanter præteriiſti? Cur illos Græcos anteceſſores non ar-

 ripuiſti

ripuiſti proſcindendos quod male ſic verba Latina legis verterint & peſſime intellexerint ejus mentem? Aut enim *ſignare* in verbis legis id ſignificat quod eo tempore certum eſt ſignificaſſe, aut peccarunt illi interpretes qui pro *ſubſignare* vel ſubſcribere acceperunt. Si non illi errarunt, flagitium eſt in lectione vulgata, aut tibi oſtendendum eſt *ſignare* illo ſæculo ſolitum uſurpari pro ſubſcribere. Si non potes hoc oſtendere, tum fatearis oportet vitium eſſe in ſcriptura vulgari, & perperam legi, *quis & cujus teſtamentum ſignaverit* pro ſubſignaverit. Teſtes autem in Teſtamentis ſubſcribendis non feciſſe ullam obſignandi mentionem patet ex Teſtamento Gregorii Nazianzeni, in quo teſtes ita ſubſcripſerunt ſicut jam obſervatum Salmaſio; Ἀμφιλόχιος ἐπίσκοπος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Ἰκονίῳ παρὼν τῇ διαθήκῃ τοῦ αἰδεσιμωτάτου ἐπισκόπου καὶ παρακληθεὶς παρ᾽ αὐτοῦ ὑπέγραψα χειρὶ ἐμῇ. Reliqui ſex ſimiliter ſubſcribunt, & ſe ſua manu ſubſcribere teſtantur, & rogatos à teſtatore. Hi ſunt Optimus, Theodoſius Theodulus, Ilarius, Themiſtius, Cledonius, omnes Epiſcopi præter Cledonium qui preſbyter erat. Septimus fuit Amphilochius qui primus ſubſcripſit. Ipſe teſtator Gregorius perlecto teſtamento ſuo & omnibus quæ in eo continebantur approbatis,

etiam

etiam ſua manu ſubſcripſit, & id profeſſus eſt his verbis: Γρηγόριος ἐπίσκοπος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κωνσταντίνου πόλει, ἀναγνοὺς τὴν διαθήκην καὶ ἀρεσθεὶς πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις ὑπέγραψα χειρὶ ἐμῇ, καὶ ἰσχύειν αὐτὴν κελεύω καὶ βούλομαι. Formula illa eſt teſtamenti ſecundum leges Romanas planè facti ex norma quam præſcripſit lex Theodoſii XXI. Cod. de Teſtamentis. Quæ Teſtamentorum forma longe antequam illa lex fuerit promulgata obtinuit in Imperio Romano. Quod enim teſtes qui in eo teſtamento ſubſcripſerunt, nomen ſuum adſcribunt & teſtatoris ipſius, ſeque ſua manu id facere profitentur, conſentaneum eſt plane verbis legis penult. D. Qui Teſtamenta, *Singulos teſtos qui in teſtamenta adhibentur, proprio Chirographo adnotare convenit quis cujus teſtamentum ſignaverit.* Nam *proprio chirographo* χειρὶ ἰδίᾳ vel ἰδιοχείρως, ut verterunt Græci Baſilicorum interpretes, qui & *ſignaverit* ibi acceperunt pro ὑπογράφειν. Nec aliter debuerunt. Apparet enim ex eo teſtamento Gregorii teſtes à teſtatore adhibitos nullam facere mentionem ſolitos obſignandi, id eſt ſigillandi, teſtamenti dum ſubſcriberent, ſed ſolum hoc profeſſos eſſe, ſe propria manu adſcribere nomen ſuum ac teſtatoris ipſius. Et ridiculum plane fuiſſet & falſum commiſiſſent, ſi tunc declaraſſent

ſe obſignaſſe vel ſigillaſſe teſtamentum quod poſt ſubſcriptiones erat lino obligandum & ſignis ſupra linũ impreſſis claudendum. Hic enim ultimus actus fuit teſtamenti conficiendi, ut paulo poſt dicam. Si teſtes in ſubſcribendo adfirmaſſent ſe & teſtamentum ſignaſſe, nihil opus fuiſſet poſt mortem teſtatoris cum aperiendæ erant tabulę teſtamenti, eoſdem teſtes qui ſignaverant convenire & ſigna ſua recognoſcere; cũ vel eorum teſtimonium adſcriptum de obſignato à ſe teſtamento ſuffeciſſet. Non conveniebant ad ſubſcriptiones ſuas recognoſcendas qua propria manu adſcribebant ſe ſubſcripſiſſe. Si idem feciſſent de ſubſignatura, nec neceſſarium fuiſſet eos adeſſe ad agnoſcenda ſigna, aut ſi venire non poſſent, mitti ad eos tabulas ubi ipſi eſſent, uti agnoſcerent: ut eſt in leg. VII. D. Teſtamenta. Cum Prætor cogebat ſignatores convenire & ſigilla ſua recognoſcere, ſi non agnoſcerent, debebant negare ſe ſignaſſe, ut habetur leg. IV. & V. D. de eodem, *Cum ab initio aperiundæ ſunt tabulæ Prætoris id officium eſt ut cogat ſignatores convenire & ſigilla ſua recognoſcere, vel negare ſe ſignaſſe. Publice enim expedit ſuprema hominum judicia exitum habere.* Ex quibus verbis luce meridiana clarius eſt non ſolitos teſtes in ſubſcriptionibus ſignati à ſe teſtamenti meminiſſe, quomodo enim qui manu ſua id

decla-

declaraſſet, id negare poſtea potuiſſet? Cujus vero manus non comparuiſſet in ſubſcriptione, & qui nõ adſcripſiſſet in teſtamento ſe illud ſignaſſe, quo jure potuit cogi ut conveniret ad agnoſcendum ſuum ſignum? Hęc me Gloſſaria non docuerunt, nec Gloſſę ineptorum magiſtrorũ, ſed ipſa juris diſciplina & teſtamentorũ faciendorum antiqua ratio indoctis Doctoribus ignorata. Igitur in lege illa pen. D. Qui teſtamenta, aut *ſignare* poſitũ eſt pro ſubſignare, aut vitioſe ita ſcriptum, cum *ſubſignaverit* ſcripſiſſet Juriſconſultus. Certe id pro ὑπογράφειν anteceſſores Græci interpretati ſunt. Atqui certum eſt nec *ſignare* pro ſubſignare umquam uſurpatum illius ævi Juriſconſultis, nec *ſubſignare* pro ſignare. Recte itaque reprehenſum cònſtat Dionyſium Gothofredum à Salmaſio, præceptorem à diſcipulo ſuo, quod ad eam legem notaverit; *Hinc colligere Baldum ſubſcriptionem non poſſe alteri committi, ne quidem notario: alieno tamen annulo ſubſignare nos poſſe.* Vbi planum eſt *ſubſignare* pro ſignare poſuiſſe. Quod fatetur ipſe rabula hís verbis: *Certè*, inquit, *ſubſignare dixit eo loco vir doctiſsimus pro ſignare. Non potuit id ferre Salmaſius & Doctorem ſuum caſtigavit.* Et merito quidem ille hoc non potuit ferre. Quid tu ad hæc? An defendere Gothofredum inſtituiſti? An docuiſti reperiri apud auctores, & uſitatum veteribus

fuiſſe

fuiſſe ſubſignare pro ſignare? Si non potuiſti id oſtendere, ſi nec feciſti, cur tibi placuit in Titulorum Laterculo prima fronte operis tui vulgato hæc verba ponere, *Dionyſius Gothofredus à Salmaſio temere reprehenſus.* Has phaleras ſcilicet populo dediſti, nec veritus es cum in frontiſpicio mentitus eſſes, in ipſo opere mendacii revinci. Nullum enim veſtigium in hoc ipſo Numero reliquiſti temerariæ illius reprehenſionis. Si temere reprehenſus eſt Gothofredus à Salmaſio eo nomine, quod *ſubſignare* poſuiſſet pro ſignare. Ergo recte ille ſic uſurpavit, ergo *ſubſignare* veteribus in ea notione frequentatum eſt pro ſigillare vel obſignare. Si temere & nullo jure reprehenſum Gothofredũ probare intenderas, debuiſti hoc nos docere. Si ſentiebas & ſciebas hoc à te non poſſe præſtari, cur temere reprehenſum arguebas? O homo nequã! Nihil enim nunc poſſum gravius quidquam aut verius, quod in te conveniat, dicere. Gothofredus in illa ipſa adnotatione inſtitutorum locum citavit ubi non *ſubſignare* ſcriptum eſt, ſed *ſignare*, quod & Theophilus Græce reddidit σφραγίζειν. Nunc etiam nobis dicas oportet, ſi *ſignaverit* perperam ſcriptum non eſt in ea lege, an tu poſſis ullo veterum teſtimonio vel Juriſconſultorum vel aliorum auctorum probare, *ſignare* idem eſſe quod ſubſcribere.

Si

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Si pro σφραγίζειν accipi debere contendas, tum tuum erit nos facere ut ſciamus an hæc formula fuerit teſtamentorũ ſubſcriptionis, ut in ea teſtes profiterentur ſe teſtamentum ſigillaſſe ſive ſignaſſe. Ergo in eo teſtamento Gregorii Nazianzeni pro illis verbis, quibus teſtes in ſubſcribendo eo uſi ſunt, ὑπέγραψα χειρὶ ἐμῇ, debuerunt ponere ἐσφράγισα χειρὶ ἐμῇ. Hoc modo eadem ſubſcriptio fuiſſet cum obſignatione. Cum autem in prædicta lege penult. ſolum *ſignandi* verbum poſitum reperiatur, quid fiet ſubſcriptioni? Nam ſingulos teſtes dicit, *qui in teſtamento adhibentur, adnotare debere quis & cujus teſtamentum ſignaverit.* Hoc ergo ſufficiebat ut teſtarentur in ſubſcriptione ſe ſignaſſe teſtamentum. Hoc erat pro ſubſcriptione ipſa? Cur ergo leg. XXII eodem, requiritur ut teſtes nomen ſuum adſcribant & ſignent? Vtrumque ergo debebant facere, & ſubſcribere & ſignare. Immo etiam videtur ex lege illa colligi poſſe magis neceſſariam tum fuiſſe ſubſcriptionem quam obſignationem. Pronunciat enim prius ea lege Juriſconſultus, ſi quis ex teſtibus nomen ſuum non adſcripſerit & ſignaverit, pro eo eſſe ac ſi adhibitus non fuiſſet. Deinde quærit, ſi, ut multi tunc faciebant, adſcripſerit ſe, non tamen ſignaverit, quid dicendum ſit. Reſpondet, adhuc idem dicendum. Ex quibus liquet viſam

ſam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſam tunc quadantenus magis neceſſariam ſubſcriptionem quam obſignationem, cum multi hoc more uterentur, ut ſubſcriberent non ſignarent. Nam & in teſtamentis quæ ex juris civilis præſcripto fiebant, non neceſſaria fuiſſe ſigna tradit Juſtinianus. Cum dicit non neceſſaria fuiſſe, non negat adhib ita etiam à nonnullis ſolita. Prætor autem qui ſeptem teſtium ſignacula requiſivit, id tantum probavit in defectu aliarum ſollemnitatum juris civilis. Dum enim ſeptem teſtium ſignis eſſet obſignatum teſtamentum, cæteris ſolemnibus juris civilis neglectis, poſſeſſionem bonorum ſe ſecundum tabulas daturum ſcriptis hæredibus edixit. Hoc etiam facere videtur pro neceſſitate majore ſubſcriptionũ quam obſignationis, quia ſi ſubſcriptiones eſſent deletæ & legi non poſſent, teſtamentum non valebat: ſi autem linum inciſum aut ſigna ablata fuerint, modo ex alia cauſa id contigerit quam ex facto teſtatoris, durante teſtamento, hæredes ſcripti ad hæreditatem vocabantur, ut eſt in leg. penult. Cod. de Teſtamentis. Denique cum teſtator etiam ſubſcribere deberet teſtamento ſuo, & hoc ipſum declarare æque ac teſtes ipſi, numquid & eum oportuit in ſubſcriptione profiteri ſe non ſolum ſubſcripſiſſe, ſed etiam ſigillaſſe teſtamentum? Ita ſane debuit, ſi quidem ve-

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

rum eſt quod adfirmant iſti belli Doctores. Atqui ex teſtamento Gregorii eum ſubſcripſiſſe conſtat eodem modo ac teſtes ipſos, nulla mentione facta ſigillationis. Γρηγόριος ἐπίσκοπος ἀναγνοὺς τὴν διαθήκην, ὑπέγραψα τῇ χειρὶ ἐμῇ. An debuit etiam addere & teſtes quoque cum illo: ὑπέγραψα καὶ ἐσφράγισα χειρὶ ἐμῇ? Atqui nihil hoc profuiſſet, & ſuperfluum plane fuiſſet. Nam ſi poſt hanc declarationem teſtator ſignati jam à ſe & à teſtibus teſtamenti linum incidere vel ſigna auferre voluiſſet, irritum erat teſtamentum, quaſi mutata voluntate id feciſſet, ut patet ex eadem leg. penult. Cod. de Teſtamentis & leg. IV. D. de his quæ in teſtamento.

CAP. XXIV.

Signare pro ſubſcribere vetus eſſe & ante Hieronymi tempora in uſu poſitum vulgo. In teſtamento Porcelli ludicro ita accipiendum eſſe. Signum pro cognomine vel nomine, unde & ſignare pro nomen ſuum ſubſcribere. Inde ſic ſignatum vel ſignatum recentioribus pro nomine ſubſcripto. In litteris ducis Burgundiæ ſignum pro eodem poni, & hodie ſic Europæis populis hoc nomen à Romana lingua corruptũ Græcis recentioribus idẽ ſignificare verbum.

NOn in ea porro lege tantum *ſignaverit* corrupte poſitum eſt pro ſubſignaverit, ſed etiam idem verbum eodem ſenſu occurrit ſcriptum in ludicro teſtamento Grunnii Porcelli, quod ætate Hieronymi in ſcholis

lis

lis à pueris decantabatur, cujus meminit non ſolum procemio in Eſaiam, ſed etiam in Apologia adverſus Rufinum in hæc verba: *Quaſi non cirratorum turba Mileſiorum in Scholis ſigmenta decantet, & teſtamentum ſuis Beſſorum cachinno membra concutiat, atque inter ſcurrarum epulas nugæ ejuſmodi frequententur:* Videtur joculare illud ſcriptum eodem ferme tempore compoſitum fuiſſe quo teſtamentum à Gregorio conditum eſt. Ejuſdem certe ſæculi utrumque eſſe credo. Secundum veterum teſtamentorum formam ab auctore factum eſſe nullum eſt dubium. Septem teſtes nominibus fictis ex re ipſa ei ſubſcripſerunt. De obſignatione nullum verbum. Ad quid enim? Nam & vera teſtamenta ubi aperta fuerant nec ſigna amplius habebant nec linum. Exempla etiam quæ inde deſcribi ſolebant, non fuere ſignata. Nec ergo opus fuit, ut ſubſcriptiones teſtium mentionem facerent ſignati & ſigillati teſtamenti. Quæ res ad ſcripturam teſtamenti qua ſola voluntas teſtatoris oſtendebatur, nihil pertinebat, utpote ad claudendum teſtamentum potius faciens, & ne ante tempus aperiretur, ac ſic fraudibus obnoxium pateret, quam ut de eſſentia teſtationis eſſet. Nam & jure civili non requirebantur ſigna teſtium in teſtamentis, ut ſupra diximus. Teſtamentum autem illud

Gre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Gregorii quod ab ipſo teſtatore & ſeptem teſtibus ita ſubſcriptum eſt, ut nulla ibi extet mentio ſignaculorum, ſignatum tamen fuiſſe conſtet more ac jure quod tunc obtinebat. Exemplum ejus Notarius ibidem deſcriptum à ſe profitetur atque divulgatum. Νοτάριος ἀντίγραφον τῆς θείας διαθήκης τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου τοῦ πάνυ τοῦ θεολόγου ἐν τῇ ἐμῇ καμηλύης ἐκκλησίᾳ μετέγραψα καὶ ἐξέδωκα. Cum autem Exempla debeant eſſe *ἰσότυπα* ſuis exemplaribus, non fuiſſent ſi ſigna ad ſubſtantiam teſtamenti pertinerent. Teſtatores olim ſæpe in duobus codicibus teſtamentum facere ſoliti erant ut alterum pro authentico eſſet, alterum pro exemplo, illud ſemper ſignabatur, hoc non ſemper, ſed utrumque ſubſcribebatur. Præterea nullus erat fructus vel effectus teſtamenti niſi aperti, & ex aperto tantum dabat bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas Prætor. Teſtamentum definiunt Juriſconſulti, *mentis noſtræ eſſe juſtam teſtationem in id ſolemniter factam ut poſt mortem noſtram valeat.* Si non valet teſtamentum niſi poſt mortem teſtatoris, non valere poteſt niſi apertum; nam aperiri tantum ſolebat poſt mortem, non aperiebatur niſi lino inciſo & ablatis ſignis. In aperto ergo teſtamento nulla ſigna. Cum enim vulgo imprimi ſolerent lino quo conſtrictæ tenebantur ta-

bulæ, eo inciſo & ſublato cum aperiendum erat teſtamentum, ſimul etiam ſigna revellebantur. Quo magis mirandus eſt ſtupor terunciani Advocati qui notavit Num. XVIII. ſe vidiſſe contractus ſignatos more antiquo & Romano, in quibus ſignatorum ſigilla adhuc appenſa extarent prorſus integra. Vidit ſane quod nuſquam fuit; tam acuta oculorum acie valet. Nihilo magis ergo ad voluntatem teſtatoris teſtificandam aut roborandam valebant ſigna quibus obſignatum erat teſtamentum, quam ſacculus obſignatus quo nummi erant incluſi ad pretium eorum aut numerum ſignificandum. Signis à ſacculo remotis eoque aperto effuſi nummi numerabantur. Ita ſignis ablatis aperto teſtamento inſpiciebatur quinam hæredes inſtituti eſſent aut ſubſtituti. Sane vel ſacculo includi potuit teſtamentum, & ſigna imponi ſupra ſacculum æque ut ſupra linteum quo involutum ſignabatur teſtamentum, ut ex Ulpiano ſupra docuimus. Sic intra ſabanum obſignatum, quod idem eſt cum linteo, codices & volumina geſtorum includi ſolita etiam in ſuperioribus oſtendimus. His adde quod non ſolum teſtamenta obſignabantur, ſed & aliæ tabulæ privatorum & publicorum contractuum, quæ & ſubſcribi à teſtibus ſolebant qui in ſubſcriptione

non

non faciebant mentionem ſignati à ſe inſtrumenti, ſed teſtes citabantur ut convenirent ad recognoſcenda ſua ſigna cum erant aperiendæ. Quod etiam in geſtis in codice vel volumine conſcriptis & intra ſabanum ſive linteum obſignatum incluſis fieri ſolitum ante indicavimus. Non ea igitur fuit formula teſtamenti ſubſcribendi quam proponunt Doctiſſimi Juriſconſulti; LVCIVS TITVS SVBSCRIPSI, ET GAII SEII TESTAMENTVM OBSIGNAVI. Multo magis vitioſa fuiſſet ſubſcriptio, ſi ita ſubſcriptum proponeretur; EGO LVCIVS TITIVS GAII SEII TESTAMENTVM SIGNAVI, etſi ſignandi verbum pro obſignandi vel ſigillandi acciperetur. Cum enim ſint duo actus ſeparati, ſubſcriptio ſive adſcriptio nominis, tam teſtium quam teſtatoris, & ſigillatio tabularum, non debuit utrumque eadem adnotatione ſignificari. Sed nec utrumq; ſimul miſceri, cũ eo tempore quo ſubſcriptio fiebat nondũ facta eſſet obſignatio, & hæc poſterior tempore in exteriore ſuperficie tabularum fieret ſupra linum ipſum quo erant ligatæ, illa prior intra ipſas tabulas cum ſcriptura ipſa interiore teſtamenti. In illo ergo ludicro teſtamento Porculi Grunnii cum ſeptem teſtes ſe dicant ſignaviſſe, verbum iſtud non poteſt ibi accipi niſi de ipſa ſub-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſcriptione. Nomina eorum hîc ponam, quia vulgo aliqua ex his corrupta leguntur.

LVCANICVS SIGNAVI.
TERGILLVS SIGNAVI.
BOTVLICVS SIGNAVI.
SALSANVS SIGNAVI.
LARDIO SIGNAVI.
OFELLICVS SIGNAVI.
CYMATIVS SIGNAVI.

Iſta teſtium ſubſcriptio qui ſe ſignaviſſe teſtamentum Venerabilis Porcelli Grunnii profitentur, non poteſt referri ad teſtamenti ipſius obſignationem, nec verbum *ſignari* accipi pro obſignari, ſed pro ſubſcribi. In ipſo teſtamenti textu etiam legitur hoc modo: *& domini & conſobrini mei qui huic teſtamento interfuiſtis jubete ſignari*. Ergo *ſignare* vel idem eſt quod ſubſignare & ſubſcribere, vel pro eo malè poſitum eſt. Inde quæro quis illo tempore hoc verbum in ea ſignificatione uſurpaverit. Certè in leg. pen. D. teſtamenta, manifeſto *ſignaverit* ea notione legitur: *Quis & cujus teſtamentum ſignaverit*. Sed cum illo ęvo nemo eam vocem eo ſenſu uſurpaſſe legatur & multo minus qui de jure ſcripſerunt, non vane ſuſpicatus eſt Salmaſius à librariis ſuppoſitum eſſe pro *ſubſignaverit*, ex uſu nimirum ſui temporis. Nec ſane à vero videtur abhorrere ætate Hieronymi, aut etiam ſupra, id verbum à vulgo com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

communi & triviali loquendi conſuetudine ita tritum fuiſſe, quod etiam hodie apud eas dialectos quæ à Romana degenerarunt obtinet. Quæ vocis abuſio videtur nata circa tempora Conſtantini. Nam apud Auctores qui eo ſæculo ſcripſerunt, invenio *ſignum* pro nomine vel cognomine. Vt apud Capitolinum in Gordianis. *Iam illud ſatis conſtat quod filium Gordianum nomine, Antonini ſigno illuſtravit quum apud præfectum Ærarii more Romano profeſſus filium publicis actis nomen ejus inſereret.* Idem in Gordiano juniore: *Antoninum filium ſuum ipſe ſignari voluit in Senatu.* Sic enim ibi legendum ex libris, quod Salmaſius tunc omiſit monere. Spartianus in Commodo: *pro Decembri Amazonium ex ſigno ipſius adulatores vocabant.* Vopiſcus in Aureliano: *Huic ſignum appoſuerat Exercitus* MANV AD FERRVM, *ut ſi forte quæreretur, quis Aurelianus aliquid feciſſet vel geßiſſet, ſuggereretur* AVRELIANVS MANV AD FERRVM, *atque cognoſceretur.* Spartianus in Peſcennio Nigro: *Quod omnino intellectum non eſt, niſi quum Baßianus Antonini, quod ſignum Pii fuit, nomen accepit.* Inde ergo apud vulgus triviali loquendi uſu *ſignum* pro nomine, & nunc in Romana Gallorum lingua *ſignum* pro nomine ſubſcripto ponitur. *Seing* vulgo vocamus. Et in omnibus chirographariis ſecuritatibus ita fere ſcribitur, *ſicut*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

teſtificatur ſignum meum hic poſitum, id eſt nomen ſubſcriptum. *Signatum* quoq; dixerunt pro ſigno: Capitolin. in Antonio Pio: *Signatum Tribuno æquanimitatis dedit*: pro ſignum. Hinc *ſignum* in aliis veteribus chartis vocatur, ut in illa Divionenſi quam Andreas du Cheſne ex Chartulario Eccleſiæ S. Benigni depromptam vulgavit in tomis Rerum Francicarum. Eam hic apponere viſum eſt, ut conſtet de veritate ſententiæ quam aſſerimus.

Litteræ Odonis Ducis Burgundiæ de medietate Monetæ Divionenſis.

Ego Odo Dux Burgundiæ hanc chartam ſigno, & filiis ac fidelibus meis ſignandam trado.

Signum Hugonis filii mei.
Signum Henrici filii mei.
Signum VVallonis canonici.
Signum Rainerii de Caſtellione.
Signum Hugonis Dapeferi.
Signum Rainoldi de Glana.
Signum Ioſberti Rufi.
Signum VValleri Coneſtabuli.
Signum VVallonis de Salmaſia.
Signum Rainoldi de Granceio.

Actum Divione A. MCI.*indictione* IX.*Philippo rege, Roberto Lingonenſi præfatæ Iarentonæ abbate.*

In hac Charta *ſignare* eſt ſubſcribere & *ſignum* nominis ſubſcriptio quæ differt à ſigillo, Plerumque eo tempore & *ſigillum* ſuum

ſimul

ſimul inſtrumentis appendebant, & *ſignum* ſimul, id eſt nomen ſubſcribebant, ut infra dicturi ſumus. Ita *ſignum* & *ſigillum* diſcreverunt, cum Latinitatis puriore ſęculo idem utroque nomine ſignificaretur. Si ſignum in his litteris Ducis Burgundiæ acciperetur pro ſigillo, non tamen id eſſet ſigni genus quod annulo imponebatur teſtamentis vel aliis tabulis contractuum & inſtrumentis ad hoc ut clauderentur obſignandis, ſed quale nunc eſt in uſu & quod appenditur inſtrumentis ac diplomatis in membrana ſcriptis aut affigitur chartis, ut publici tabellarii facere conſueverunt multis in locis dum ſigillum civitatis in inſtrumentis publicis ceræ affixæ & papyro obvelatæ imprimunt. Nobiles ſuperioribus ſæculis ſignaculum habuere quo ſoli militiæ honore potiti & patres familiarum nobiles utebantur. Nam filii eorum ſigillum aut jus ſigilli non uſurpabant niſi poſt mortem patris & poſt adeptum militiæ, id eſt equeſtris gradum dignitatis. Ab una parte ſcutum inſignium ſive armorum, ut loquuntur, impreſſum viſebatur cum his verbis in circuitu exaratis, SIGILLVM RAINOLDI DE GRANCEIO. Ab altera parte Equitis effigies armati galeati & ſcutati cernebatur cum aliquo Symbolo. Hoc ſignaculo ſigilla imprimebant contractuum vel teſtamentorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

chartis, ſimulque nomen ſuum adſcribebant, quod *ſignum* proprie vocabatur. Vnde & *ſignare* pro ſubſcribere, & *ſigillare* pro ſigillum imprimere. Quam vetus ſit illa *ſigni* & *ſignandi* appellatio eo ſenſu, oſtendit teſtamentũ Grunnii Corocottæ in quo planè ita accipitur. Græci quoq; recentiores σημαίνεϑαι, id eſt *ſignare*, pro ſubſcribere uſurparunt, ab illo nimirũ vulgari Latino in eodem ſenſu poſito. Inde ἐρυθροσήμαντον γράμμα Nicetæ, reſcriptum Principis ſubſcriptum minio vel miniatis litteris. Græci vero antiqui & ἀττικίζοντες numqnam eo verbo uſi ſunt niſi eadem prorſus notione qua & Latini veteres, vocabulo *ſignare*. Hinc & σήμαντρον ſignaculum, & σημεῖα ſigna. Qui proprie loquuti ſunt ut Juriſconſulti illa ipſa etiam ætate, *ſignandi* verbo non aliter utebantur quam quo olim ſumptum eſt. Hinc neque apud Juſtinianum aliter umquam ſumitur. Non mirum itaq; eſt ſi librarii qui exemplaria librorum eo ipſo ſæculo deſcribebant in auctoribus verbum antiquum *ſubſignandi* mutarunt, pro eo ſupponentes quod in uſu erat vulgari. Sic *ſignaverint* ſcripſerunt in lege quam explicavimus, & apud Suetonium etiam ipſum. Nullum hodie exemplar ſcriptum habemus tam antiquum quod ſupra mille annos eat. Atqui vetuſtiorem eſſe eum loquendi morem qui *ſignare* pro ſubſcri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſcribere uſurpat ex teſtamento Corocottæ liquet, & ex locis illis auctorum quæ citavimus, in quibus *ſignum* pro cognomine, & *ſignare* pro cognominare ponitur.

CAP. XXV.

Subſignare non eſſe vetus verbum nec juris pontificii pro ſubſcribere, ſed Iuriſconſultis Pandectarum etiam uſurpatum. Subſcribi prius quam ſignari more & jure Romano ſolita teſtamenta, & multis id probatum rationibus contra Heraldi inſanam hariolationem.

CVm Salmaſius notaſſet, teſtes qui ſubſcribebant non potuiſſe tunc dicere ſe teſtamentum obſignaſſe cum ſubſcriberent, quia nondum erat ſignatum, nec in illa tabularum parte ſigna imprimebantur. Nam tum cum omnes teſtes *ſubſcripſiſſent*, cum tabulæ teſtamenti lino ter circumducto obligatæ eſſent, ſupra illud linum poſitæ ceræ imprimi ſolebant ſigna. Non igitur poterant profiteri ſe obſignaſſe, qui nondum obſignaverant, quum ſubſcribebant: falſum quippe ſcripſiſſet. Quid contra hæc oblatret Anubis Foraneus, operę pretium eſt cognoſcere. Duo, inquit, ſcire debuit Salmaſius. Primum, verbum *ſubſignare* vetus eſſe & obſoletũ. Deinde, eo ævo quo teſtamenta à teſtatore & teſtibus ſubſcribi oportuit, ſignata prius, deinde ſubſcripta à teſtibus teſtamẽta. Hæc ſunt dictata magni Ludimagiſtri, quæ ſi puer olim ſub eo in ſchola excepiſſet

Salmaſius, poſtea grandiori dediſcenda fuiſſent quę tunc didiciſſet. In primo ex his magnam Magiſter pedaneus imperitiam litteraturæ prodit, in altero profundam juris, quod nunc eum exercet, inſcitiam. Ad primum quod attinet, obſoletum & vetus verbum eſſe perperam ſibi finxit. Nec locus Pauli quem allegat, id adſtruit, imo contrarium ex ipſo colligere eſt. Nec enim veriſimile eſt antiquata & obſoleta juris vocabula ibi expoſuiſſe Paulum, ſed quæ in uſu tunc erant poſita apud Juriſprudentes aut in edicto Prætoris. Et certe hæc verba ejus deſumpta fuere ex libris ad Edictum. Non ergo juris pontificii id verbum, ut notavit Cujacius, ſed prætoris cum in Edicto prætoris haberetur. Subſignari etiam prædia apud Cenſores Cicero dixit pro ſubſcriptis; & *ſubſignata prædia* in veteri inſcriptione extant eodem ſenſu. Præterea Feſtus ſua ætate id verbum frequentari pro ſubſcribere obſervat. *Reſignare*, inquit, *pro reſcribere ponebant, ut adhuc ſubſignare, pro ſubſcribere.* Tametſi Verrium ponamus ita ſcripſiſſe ne ſic tamen verbum obſoletum fuerit, aut ex jure pontificio petitum quod Verrii Flacci ætate uſu celebrabatur. Eum ſuis nepotibus præceptorem dedit Auguſtus, & ſub Tiberio ſenex deceſſit. Non magis ſane vetus hoc verbum pro ſubſcribere, quam ad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſignare pro adſcribere, & conſignare pro conſcribere. Hoc uſus eſt Florentius eo ſenſu in leg. XXIII. D. Qui teſtamenta. *Vnum teſtamentum*, inquit, *pluribus exemplis conſignare quis poteſt.* Id eſt conſcribere. Cum hodieque in Idiomate Gallico id verbi frequentetur in hac ipſa ſignificatione, non à jure pontificio videmus hauſiſſe, ſed ab infimo Latinitatis ævo. Ita enim qui Chirographa debitorum conficiunt, ea ſolent in principio concipere, *Ego ſubſignatus fateor.* Ipſis autē verbis Pauli vincitur non pro antiquo & exoleto vocabulo id obtruſiſſe cum ſcripſerit, *ſubſignatum dicitur quod ab aliquo ſubſcriptum eſt.* Dicitur, nempe hoc ipſo tempore. Si antiquis tantum uſitatum intellexiſſet, omnino ſcripſiſſet, *ſubſignatum dicebatur*, vel *ſubſignatum dicebant veteres.* Sed profectò mirum eſt quod apud eundem Paulum ſequitur, *Nam veteres ſubſignationis vocabulo pro adſcriptione uti ſolebant.* Immo pro ſubſcriptione. Nam adſignare eſt adſcribere, ut ſubſignare ſubſcribere. Nec etiam video quomodo *ſubſignatio* vox vetus fuerit pro adſcriptione, & *ſubſignatum* pro eo quod ab aliquo ſubſcriptum eſt, in uſu tunc communi vulgatum. Puto omnimodo ſcripſiſſe Paulum. *Nam veteres ſignationis vocabulo pro ſcriptione uti ſolebant.* Quod verum eſt. Nam ſimplex in uſu tunc amplius non erat,

ſignare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſignare pro ſcribere, cum compoſitum *ſubſignare* paſſivitus uſurparetur. *Signare* etiam pro ſcribere notavit Feſtus. Vt ut ſit, *ſubſignatum* Paulo pro ſubſcriptum, verbum fuit ſæculi Juriſconſultorum. Quod adeo verum certumque eſt ut Græci anteceſſores, ὑποσημαίνεσθαι inde uſurparint pro ſubſcribere. Idque de verbo ad verbum eſt *ſubſignare*. Inde & ὑποσήμανσιν dixere, id eſt *ſubſignationem*, pro ſubſcriptione. Hoc primum ergo fuit quod Salmaſius ſcire debuit, in pontificio jure duntaxat locum habuiſſe *ſubſignatum* pro ſubſcripto, cum tamen Paulus ad Edictum id notaverit, non ad jus Pontificium. Sed ita ſcire, neſcire eſt. Nec minus quod ad ſecundum attinet, quod etiam ſcire debuiſſe Salmaſium autumat omniſcius. Scio multos indoctos in diverſis quas profitentur ſcientiis reperiri, ſed ad hoc exemptum nemo eſt, fuit, aut erit, præſertim qui ſe alios docere poſſe præſumat, ut hic facit ἔκνομος νομικός. *Secundo*, inquit, *ſcire debuit, ævo quo teſtamenta à teſtatore & teſtibus ſubſcribi oportuit, ſignata prius, deinde ſubſcripta à teſtatoribus teſtamenti.* Signata igitur illi nugivendulo Advocato prius teſtamenta, dehinc ſubſcripta, Salmaſio & mihi prius ſubſcripta, deinde ſignata. Videamus utrius ſcientia verior ſit. Ego Salmaſianam ratione & rebus ipſis primum aſſeram, deinde

aucto-

auctoritatibus & teſtimoniis juris. In Teſtato Gregorii Nazianzeni habemus formulam conficiendorum teſtamentorum qualis tunc in Imperio Romano obſervabatur. Nam cum omni obſervatione legitima illud factum fuiſſe, & ex præſcripto juris Romani prorſus liquet. In eo Teſtator primo loco ſubſcribit, & poſt illum ſeptem teſtes, & profitentur pariter omnes ſe ſubſcripſiſſe teſtamentum Gregorii Nazianzeni, ſuumque pariter nomen propria manu apponunt: ὑπέγραψα χειρὶ ἐμῇ, id eſt *chirographo meo ſubſcripſi*. Hæc ſubſcriptio, ſi Heraldo magno juris auctori & antiquitatis promicondo credimus, poſt ſignationem facta eſt. Ergo præceſſit eam obſignatio? Ubi aut quando illa facta? cur nulla ejus in ipſo teſtamento extat mentio? Nam ſi prius facta eſt, debuit ante ſubſcriptionem memorari. Vbi hæc nobis explicaverit, ego illi dedero quod ſumere vult, Salmaſium nihil aliud eſſe quam Criticum, ſe vero habendum pro aliquo Papiniano. Iam & illud mihi reſpondeat, quia de jure reſpondent Juriſconſulti; poſtquam ſignatum erat teſtamentum, an reſignari & aperiri moris fuerit ante mortem teſtatoris? Non credo hoc reſpondebit; quamvis de ejus inſcitia nihil eſt quod mihi non promittam. Si *reſignare* teſtamentum eſt aperire, *ſignare* eſt claudere. Non enim poterat

terat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

terat aperiri niſi lino inciſo & ſignis remotis & revulſis. Signa autem tollere *reſignare* eſt, reſignare aperire. Ante mortem aperiri ſolitas tabulas teſtamenti nemo eſt juris Romani adeo parum intelligens qui neſciat. Lex autem de viceſima hæreditatum ſtatim poſt mortem teſtatoris eas aperiri voluit, ut habet Paulus leg. IV. Sententiarum tit. VI. de Viceſima. Vbi & tradit quamvis reſcriptis variatum fuerit, hunc juris tamen eo tempore uſum fuiſſe, ut à præſentibus intra triduum vel quinque dies aperiendæ eſſent Tabulæ, ab abſentibus quoque intra eos dies poſtquam ſuperveniſſent. Quomodo aperiri ſolitæ fuerint ibidem narrat, ut teſtibus nempe in unum convenientibus & agnoſcentibus ſua ſigna, lino inciſo reſignarentur & aperirentur. At ſi vera eſt ſententia magnifici patroni & Magiſtri, ſignatæ prius tabulę fuere, deinde ſubſcriptę à teſtibus. Ergo reſignari & aperiri debuere ut ſubſcriberentur, & aperiri ſub ipſis teſtatoris oculis. Quid deinde factũ? an iterum ſignabantur? Sed fortaſſe intellexerit ſubſcriptiones fieri vulgo ſolitas non in cera interiore tabularũ, ſed in exteriore tegmine. Atqui non ſubſcriptio, ſed ſuperſcriptio hoc modo fuiſſet appellitanda. Deinde fraudibus variis hæ ſubſcriptiones obnoxiæ fuiſſent in ſumma ſuperficie tabularũ poſitæ. Poſtremo quis meminit

minit veterum Juriſconſultorum ea parte teſtamenti factarum ſubſcriptionum? Nulla quippe ſubſcriptio legitur facta in extima parte quarumcunque tabularum aut inſtrumentorum, ſive publicos continerent contractus ſive privatos. Hoc adeo contra ſenſum communem, contra mores omnium temporum & gentium, ut ſi alius eſſet quam Heraldus qui hoc diceret, pro monſtro haberetur. Sed in illo tam prodigioſa inſcitia cum pari ſtupiditate conjuncta nihil habet miri. Si ſignatum teſtamentum de clauſo intelligi debet, & reſignatum de patefacto & reſerato, cum ſubſcriptiones poſtquam ſignatæ eſſent tabulæ factas velit, non potuere fieri niſi in ea ipſa parte in qua ſigna imprimebant. Si tabulæ eſſent ligneæ & intus ceratæ, ut ferme tunc in ejuſmodi tabulis conſcribebantur teſtamenta, nullæ in ſumma ligni ſuperficie ceræ fuere in quibus exarari poſſent ſubſcriptiones teſtium. Si in volumine chartaceo aut membranaceo ſcriptum erat teſtamentum, exterior pars nulli patuit ſcripturæ, ſed tantum interior. Si codex fuit ex paginis ſive foliis ſive tabellis membranaceis contextus, ut tunc etiam in uſu fuit, ſuperficies codicis tegmen erat ex ligno vel ex panno vel ex alia materia quæ ad ſcribendum non fuit idonea. Scribit Ulpianus leg. XXII. D. Qui Teſtamenta, *Si-*

gna-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

gnatas tabulas accipi oportere etſi linteo quo tabulæ involutæ ſunt, ſigna impreſſa fuerint. Age imaginemur tabulas linteo, id eſt velo lineo vel ſindone involutas, & ſigna impreſſa ipſi linteo, poſt ſignatas hoc modo tabulas, ſi teſtes deinde ſubſcribere oportuit, ubi illæ ſubſcriptiones fieri debuerunt? An in ipſo linteo? Si intra tabulas ipſas, ergo evolvendæ ex linteo tabulæ fuere, & ſigna revellenda, linumque incidendum, ut teſtes ibi ſubſcribere poſſent, ſi modo non aliter ſubſcripſere niſi poſt ſignatum teſtamentum. In Collatione Carthaginenſi, codices tabularum & volumen membranarum intra idem ſabanum, ſive linteum, obſignata leguntur, loco quem ſupra citavimus. Ea volumina, iique codices intra ſabanum, hoc eſt linteum, pariter obſignati, an non etiam ſubſcripti à teſtibus fuere? Sane fuiſſe oportet. Imo & ab iiſdem teſtibus ſignati ſunt. Cum igitur ſigna illa ſabano ipſi impoſita ac impreſſa fuerint quo involuti codices fuere, omnino neceſſe eſt, poſt ſubſcriptiones in interiori ſcriptura prius adnotatas, ſigna poſterius ſupra linteum fuiſſe impreſſa, quo erant involuti.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

CAP. XXVI.

Iuris auctoritate & legum pluribus teſtimoniis probatur ſubſcripta prius olim fuiſſe, deinde ſignata teſtamenta. Stultam ab Advocato & inſcitam pragmaticorum & πραγματικῶν inſtitutam differentiam, & ab his ordinem rerum negligi, ab illis ſervari. Neſciviſſe Heraldum quinam veteribus pragmatici dicti ſint.

HÆc ſufficere poterant æquitatem cum doctrina habentibus. Sed ἐξ ἐπιμέτρου addendæ ſunt probationes ex juris auctoritate & legum teſtimoniis, quæ & promiſi, quoniam his ſuam hariolationem tueri conatus eſt juris Tympaniſta. Vnicum adfert ex leg. XXI. Cod. de Teſtamentis. In principio ita legitur, Licere per ſcripturam conficientibus teſtamentum ſi nullum ſcire volunt ea quæ in eo ſcripta ſunt, conſignatam vel ligatam, vel tantum clauſam, involutamque proferre ſcripturam, vel ipſius teſtatoris vel cujuslibet alterius manu conſcriptam, eamque rogatis teſtibus ſeptem numero civibus Romanis, puberibus, omnibus SIMVL OFFERRE SIGNANDAM ET SVBSCRIBENDAM. *Vides*, inquit, *ſignare & ſubſcribere.* Video hoc inquam, ſed illud etiam videre ipſe debuiſti, quattuor locis in eadem lege ſequentibus *ſubſcriptiones* præponi *ſignaculis*. Voluiſti

hoc telum ita declinare; *Quod eadem lege ſubſcribere & ſignare teſtamentum poſtea legitur, nihil aliud eo ſignificari quam juris conditores & homines πραγματικοὺς non tam verborum ſono aut ordini adhærere ſolere quam rebus ipſis.* Quaſi ſcilicet ordo rerum agendarum non ad res ipſas pertineat. Quaſi ordo in rebus, verborum ſonus ſit cujus ideo ratio habenda non ſit, nihilque omnino interſit teſtamentum ſignatum, ſubſcriptum & ſcriptum dicere, an ſcriptum, ſubſcriptum & ſignatum. Nihil fortaſſe etiã refert utrum quis dicat de acie ordinata more Romano, Triarios primo pugnaſſe, deinde Principes, poſtea Haſtatos, ultimo Velites, cum tamen contrarius ordo depugnationis eorum fuerit. Præterea illa ratio quam adfers, cur non potius eam valere vis ad eum locum quem unicum protuliſti, quam ad quatuor alia quibus ordine converſo *ſignacula* conſtanter poſt *ſubſcriptiones* locantur? Nonne quatuor teſtium teſtimonium unius teſtimonio prævalere decet? Præterea in illo priore loco nulla ideo ordinis ratio habita eſt ab eo qui legem formavit, quia non erat ille proprie ſuus ordini qui ſervari tum debuit locus, ubi loquutus eſt de offerendo teſtamento teſtibus, quod ſignarent & ſubſcriberent. Sed in ſequentibus ubi jam adnotari oportuit quo ordine res peragenda fuerit in ſubſcribendo

do & ſignando teſtamento, conſtanter eundem obſervavit ordinem. Proxime enim poſt illa quæ à te citata ſunt, hæc ſequuntur verba quibus ordo ſubſcribendi prior, deinde ſignandi poſterior diſerte expreſſus eſt. *Quo facto & teſtibus uno eodemque die at tempore ſubſcribentibus & conſignantibus teſtamentum valere.* En *ſubſcribere* & *ſignare*! Et paulo poſt: *Sufficit uno tempore eodemque die, nullo actu extraneo interveniente, teſtes omnes videlicet ſimul, nec diverſis temporibus, ſubſcribere ſignareque teſtamentum.* En iterum *ſubſcribere* prius quam *ſignare!* Sequitur continuo, *Finem autem teſtamenti ſubſcriptiones & ſignacula teſtium eſſe decernimus.* Ecce tertio, *ſignacula* teſtium poſt *ſubſcriptiones* poſita. Subjungitur ſtatim, *Non ſubſcriptum autem à teſtibus ac non ſignatum teſtamentum pro imperfecto haberi convenit.* Quarto hic vides, ſi talpa videt, ſubſcriptum prius, deinde ſignatum teſtamentum. Sed qui ſunt illi homines πραγματικοὶ quos dicis non curare rerum ordinem nec ei adhærere; nec verborum ſono? Bellos ſane nobis pragmaticos narras. Secundum iſtos ergo pragmaticos qui ſervandi ordinis curioſi non ſunt, pro nihilo habendum ſit, ſi teſtamentum prius ſignent teſtes, deinde ſubſcribant, & ultimo loco ſcribatur à teſtatore manu propria vel alterius cujuslibet. Cur igitur hoc ipſo loco nos diſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

cere voluiſti ſignandi ac ſubſcribendi ordinem ab iſtis pragmaticis qui ordini adhærere non ſolebant? Sic enim ais, Theodoſium & Valentem leg. prædicta XXI. Codicis de Teſtamentis, formam teſtamentorum condidiſſe & ſignandi ac ſubſcribendi ordinem conſtituiſſe. *Quod quomodo fieret, diſcet poſtea* (Salmaſius) *à pragmaticis.* Dic nobis, ô Pragmatice, quomodo ordinem eum docere nos poterunt tui pragmatici, quos dicis in ea lege Theodoſii condenda ad verum ordinem non attendiſſe, ideo ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς conſtituiſſe? Certe illi quatuor in eadem lege locis poſtpoſuerunt ſignacula ſubſcriptionibus. Nonne etiam te pudet inſcitiæ qui πραγματικοὺς homines cum juris conditoribus confundis? Sic enim loqueris, quod memoriȩ Magiſter ille à quo lex Theodoſii condita eſt, ut moris tunc fuit quattuor locis *ſubſcribere* & *ſignare* teſtamentum dixiſſet, *nihil aliud hoc ſignificare quam juris conditores & homines* πραγματικοὺς *non tam verborum ſono aut ordini adhærere ſolere quam rebus ipſis.* Tam docta ac bella hæc tua verba ſunt ut iterum hic ea producere gravatus non fuerim. Ergo pragmatici homines fuere qui legem illam Theodoſii condiderunt, qui non curant ordinem. Ergo alii ſunt illi pragmatici à quibus nos diſcere in eadē Sectione juſſiſti quomodo ordo ſignandi

di

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

di & ſubſcribendi in teſtamentis ſervaretur. Certe Durandum ſpeculatorem nobis allegas ſequenti Numero à quo hoc diſcamus. Fuit ergo ille pragmaticus, ſed ex eorum genere qui ordinem diligenter ſervarent, non ex illis qui ordini non adhærebant, ut illi fuerunt qui legem Theodoſii formarunt. Hos ideo græce diſcriminis gratia πραγματικοὺς videris nuncupaſſe, illos vero qualis fuit Durandus, *Pragmaticos*. Ego ſane te verum hic πραγματικὸν & *pragmaticum* agnoſco. Nam πράγματα tibi ipſi παρέχεις, non nobis, qui tam inſcite, inſulſe, inepte, de his commentaris quorum nullum habes guſtum, nullum ſenſum, nullum intellectum. Nec ſcire te plane profiteris quinam in jure & apud auctores Romanos *Pragmaticorum* nomine nuncupati ſint. Quod ut poſſis diſcere remitto te ad Lexica Iuridica. Nunc perſequemur ordinem noſtrum, & quo ordine teſtamenta ſubſcribi & ſignari ſolita olim fuerint demonſtremus, teſtimoniis ex jure ipſo ductis. An pramatici etiam fuerunt, id eſt ordinis contemptores in teſtamentis ordinandis, qui Inſtituta Iuſtiniani compoſuerunt? Tales videntur fuiſſe. Nam & illi aliquot locis *ſubſcriptiones* teſtium *antepoſuerunt ſignaculis* eorundem. Titulo de Teſtamentis ordinandis: *Et uno eodemque tempore, quod jus ci-*

vile quodammodo exigebat, ſeptem teſtibus adhibitis, & ſubſcriptione teſtium, quod ex Conſtitutionibus inventum eſt, & ex Edicto prætoris ſignacula teſtamentis imponerentur. Omnia ordine percenſet ut in teſtamento ordinando acta ſunt, Teſtes adhibitos, eorundem ſubſcriptiones, & poſtremo ſignacula ab iis impoſita. Eundem ordinem repetunt ibidem, ubi dicunt teſtes & eorum præſentiam uno contextu teſtamenti celebrandi gratia à jure civili deſcendere. Subſcriptionem autem teſtatoris & teſtium ex ſacrarum conſtitutionum obſervatione adhiberi; ſignacula autem & teſtium numerum ex edicto Prætoris. An putas, ô Pragmaticorum ocelle, in ordine verſo hęc ibi fuiſſe digeſta ab auctore & conditore eorum Inſtitutorum; & quod prius faciendum poſterius ab iis memoratum? Falleris ſi id putas. Nam & in ſequentibus eundem ordinem ſervarunt. In eo quippe qui proxime ſequitur paragrapho, Juſtinianus in ſua Conſtitutione hoc addidiſſe ait ad veterum Principum Conſtitutiones de teſtamentis edictas, *ut per manum teſtatoris vel teſtiū nomen hæredis exprimatur.* Hoc ad ſubſcriptiones ſpectat. Deinde adjicit, *poſſe & omnes teſtes uno annulo ſignare teſtamentum.* Ergo primo ſubſcribebatur, deinde & ſignabatur. Qui leges Wiſigothorum in Hiſpaniis ſanxerunt, etiam de illis pragma-

gma-

gmaticis fuere qui ſolebant ordinem omnem inſuper habere. Illi quippe *ſubſcriptionem & ſigna* ſic ſemper nominarunt, non ſigna & *ſubſcriptionem* lib. II. Tit. XV. leg. XII. de Teſtamentis, *ſive qualiter conſici vel formari conveniat ultimas hominum voluntates.* In ea lege quater aut quinquies, *ſubſcriptio & ſigna, ſubſcriptor & ſignator, ſubſcriptum & ſignatum* leguntur. Legum earum auctoritate ſæpe & libenter uſus eſt Cujacius, quod in iis omnia ferme eſſent ex lege civili petita, & ſermone Latino conſcripta. De alio tamen genere ſignandi ea eſſe intelligenda infra dicam. Sed quid tamdiu miſellum pragmaticum velut ex furca ſemianimem pendere patimur? Abſolvendus eſt & ſtrangulandus. Hoc faciet locus ex leg. VII Cod. Qui teſtamenta. Verba hæc inſpice, & crepa, homo pragmatice, vel potius Mule ſagmatice: *Quibus omnibus ex ordine peroratis, uno eodemque loco & tempore, ſed & tabularii manu conſcriptis ſub obtutu ſeptem, ut dictum eſt, teſtium, & eorundem teſtium manu ſubſcriptis, dehinc conſignatis, tam ab iiſdem teſtibus quam à tabulario, plenum obtinebit robur teſtantis arbitrium.* Quid his oppones? An & pragmaticum fuiſſe & ordini non adhæſiſſe qui hanc conſtitutionem Iuſtino conſcripſit? Debuit ergo dicere ſi ordinem recte obſervaſſet, *eorundem teſtium manu ſignatis, dehinc &*

ſubſcriptis. Sed certè pertinax homo ille fuit qui in eo ordine perſeveravit tenendo eadem lege bis aut ter. Sic enim paulo poſt habet: *Et ubi tenor eorum omnibus innotuerit, elogium ipſe ſuum profiteatur & ex animi ſui quæ lecta ſunt diſpoſuiſſe ſententia*. Et in fine, *ſubſcriptio ſequatur teſtium, nec non omnium ſignacula tam teſtium, prout dictum eſt, quam Tabularii*. Repetit eadem paulo poſt, perſtando in eodem ordine, his verbis: *Libera poteſtate concedenda voluntates ſuas in prædictum modum ordinantibus, chartulam ita ſubſcriptam, ita denique conſignatam, cui velint ex teſtibus cuſtodiendam mandare*. Cui hæc ſatis non erunt, quid illi poſſit eſſe ſatis neſcio. Hoc ſciat interim Cauſidicus non Gloſſaria hîc Salmaſium adjuviſſe, nec ea conſuluiſſe ut diſceret ſubſcriptionem prius teſtium in teſtamentis celebratam, deinde & ſigna ab iiſdem impoſita. Ex penitis & puris juris fontibus hoc hauſit, quos iſte cauſarum latro ſive latrator, non adiit, contentus ea quæ habet duxiſſe ex fætidis pragmaticorum lacunis. Sed ut rerum verborumque imperitus eſt, nec ex gloſſariorum libris quos legendo contrivit, nec ex legum voluminibus quæ per tranſennam tantum libavit, duplicis illos generis *pragmaticos* deprompſiſſe videtur toti antiquitati Romanæ & Græcæ incognitos. Vlpianus leg. IX. de pœnis cum

tabel-

tabellionibus eoſdem facit. *Solet*, inquit, *autem ita vel juris ſtudioſis interdici vel advocatis, vel tabellionibus ſive pragmaticis.* An hic noſter, *pragmaticos* appellat eos advocatos qui forum terunt & in cauſis agendis & negotiis tractandis verſati ſunt? ita videtur. Nam & Durandũ Speculatorem inter hos pragmaticos recenſet. Alio tamen ſenſu πϱαγματικοὺς homines cum juris conditoribus conjungit, quos fortaſſe ſic credidit dictos, quod *pragmatica reſcripta* & *pragmaticas ſanctiones* principum conderent. Iſti ſunt quas dicit nec verborum ſono nec ordini rerum ſcribendarum attendiſſe. Alteri vero pragmatici cum ſint toti formularii, quo ordine ſignanda & ſubſcribenda ſint teſtamenta optime ſcilicet norunt. Nam ex horũ dictatis, *quomodo ſignarent prius, deinde ſubſcriberent*, jam docendos nos eſſe admonet. Hæc enim ſunt ejus verba quibus claudit Num. XIX. primi hujus libri cacatarum Animadverſionum. Non ſimplici genere imperitiæ peccavit, primum cum *pragmaticos* dixit cauſarum actores. Nec moror Iſidorum qui lib. V. cap. XXII. *pragmaticum* eum eſſe interpretatur qui actor eſt cauſarum & negotiorum, quia negotia *pragmatica* dicantur. Alium eſſe qui cauſas agit *à pragmatico* oſtendit Juvenalis iſtis verſibus Satyr. VII.

Si quater egiſti, ſi contigit aureus unus,
Inde cadunt partes ex fœdere pragmaticorum.

Nec audio Scholiaſten *pragmaticos* ibi *juriſperitos* exponentem, qui negotiales cauſas agunt. Notum ex Cicerone & Quintiliano qui *pragmatici* veteribus dicti ſint. Longe autem majorem inſcitiam oſtendit quod πραγματικοὺς vocari ait qui leges ac reſcripta principum componebant, aut perſcribebant, quia nimirum *pragmaticæ juſsiones* & ſanctiones dicebantur. In leg. x. Codicis *pragmatica juſsio* diſtinguitur à *Principis adnotatione.* Ita vero dicitur *pragmatica* juſſio vel conſtitutio ut *pragmatica* hiſtoria, *pragmaticus* commentarius, quo res exponuntur cum ſuis cauſis, & latius proponuntur. Inde & Servius notat ad VI. Æneid. multos ex ſingulis titulis rerum quas ibi obiter attigit Virgilius, *integram pragmaticam* confeciſſe. Cicero ad Atticum lib. XIV. Epiſt. III. *Tu Tu ſiquid pragmaticum habes, ſcribe: ſin minus, populi* ἐπισημασίαν *& mimorum dicta perſcribito.* Vbi πραγματικὸν de rebus geſtis accipiendum; ſiquid habes rerum aut negotiorum quæ geruntur. Idem Cicero Epiſt. XX. ad Attic. lib. II. *Homines pragmaticus* appellat prudentes & in rerum gerendarum uſu verſatos verſutoſque. Advocatus videtur *pragmaticos* vocare quos vulgo πρακτικοὺς vocant. At niſi inſanit, ſcire debuit aliud eſ-

ſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſe πρακτικὸν, aliud πραγματικὸν. Alter hic ejus inſanus error eſt. Nam πραγματικοὶ non vocabantur qui reſcripta Principum ac conſtitutiones formabant, excipiebant ac perſcribebant, ſed memoriæ magiſtrorum munus hoc fuit, qui poſterioribus dicti ſunt *Memoriales*, & in officio erant quæſtoris. Is Quæſtor Cancellarii ſic poſtea appellati munus in aula obibat ſub Imperatoribus. Verum de his alibi. Pro oraculo interim habeamus juris conditores & πραγματικοὺς Advocati, non curare verborum ſonum nec ordinem, ſed res tantum ipſas, quod prius natura eſt an poſterius vel contra locari debeat parum ſollicitos & unice ſecuros.

CAP. XXVII.

Formulam ſubſcribendorum & ſignandorum teſtamentorũ antiquam à Guilielmo Durando non eſſe petendã. An ejus ætas adeo erudita fuerit, ut mores antiquos Romanos ad unguem ſcire potuerint qui tunc vixere. Quæ de forma ſubſcribendi & ſignandi teſtamenti ſcripſit, ex uſu ſeculi ſui ſcripſiſſe. Tabularum per ea tempora ceratarum nullum uſum fuiſſe nec voluminum. Diſtinguenda eſſe tempora & diſcutiendas materias de quibus ſcribitur, quod per imperitiam ſummam non fecit Heraldus: Hinc miræ ejus hallucinationes.

EXpectabam poſt refutatas Salmaſii rationes & explicationes de ordine ſubſcribendorum & ſignandorum teſtamentorum

rum, ut nobis clare, plane pleneque ediſſertaret, priſcis Romanis ſignandorum teſtamtntorum uſitatum morem: ſed fefellit me Cauſidicus, qui & multos alios. Cum enim in numerato nihil haberet & de arca ſua non poſſet ſolvere, unum ex pragmaticis ſuis allegavit qui pro ſe ſolutionem faceret. Is eſt Guilielmus Durandus ſpeculator, cujus locum bene longũ & duas paginas occupantem, integrum produxit. Ex quo poſſemus nempe addiſcere formam ſcribendi prius, deinde ſignandi, poſtremo & ſubſcribendi teſtamenti. Luculenter ſic ab eo deſcriptam aſſeverat. Fuit Durandus ille Juriſconſultus ſane celebris, quem pragmaticum vult fuiſſe pragmaticus noſter. Sunt ergo pares. Hic cum anno CIƆ CLXXI volumen illud de jure compoſuiſſet cui titulum fecit *Speculum juris*, ab eo *Speculator* cognominatus eſt, ut nos hic docet pragmaticorum coryphæus. Deceſſit in ætate adhuc florente cum vix annum trigeſimum exceſſiſſet. Vixit ſæculo planè barbaro quod & ipſius ſtilus indicat. Ut juris, quod ad praxin & uſum fori eo tempore vigebat, peritiſſimum fuiſſe concedam, ita antiquitatis Romanæ & veræ legum ſcientiæ prorſum rudis fuit, ut ex hoc ipſo loco quam noſter hîc Juriſconſultus practicus, ſive ut ipſe dici vult, pragmaticus deſcripſit, clare patebit. Quomodo veteres

Romani

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Romani teſtamenta ſua ſubſcribere & ſignare conſueverint, numquam ille bonus vir intellexit, quia nec diſcrimen umquam novit Tabularum in quibus teſtamentum ſcribebatur, & noſtræ chartæ. Ne quidem ſcivit quæ differentia fuerit chartæ antiquis uſitatæ, & ejus quæ nunc in uſu eſt. Forma illa quam deſcribit fortaſſcan illo tempore quo vixit, locum habuit. Sed ab antiqua & Romana ita diſcrepat, ut nihil ſit magis diſſimile. Hanc vero diſſimilitudinem fecit, præter res alias etiam materiæ formæque diverſitas earum rerum in quibus litteræ ſcribi ſolebant. Si quis enim hodie togã qua veſtiuntur fori advocati, vellet eandem eſſe aſſeverare cum ea toga quę Romanis *togatorum* nomen dedit, non minus erraret, quam qui Tabulas, codices & chartas veterum cum noſtris confunderet. In ea forma teſtamenti ſcribendi, *ſubſcribendi & ſignandi*, quam exhibet Durandus non ullo verbo meminit tabularum ceratarum in quibus ſcribebantur teſtamenta apud Romanos, etiam epiſtolæ, rationes, acta, libelli, cautiones, teſtamenta, chirographa & alia. Quo tempore factũ eſt illud Senatuſconſultum contra falſarios, cujus meminit Paulus, non aliis tabulis teſtamenta ſcribi ſolebant quam ceratis illis, ut ex ipſis verbis Senatuſconſulti liquet. Ætate

Juriſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Juriſconſultorum etiã illæ Tabulæ durabant in uſu ad ſcribenda teſtamenta, ſed tamen tum etiam & chartæ & membranæ eundem uſum præbebant. Quod & ipſi Juriſconſulti diſertè docent, nempe in chartis & membranis æque ſcribi poſſe, & valere teſtamentum ac ſi in tabulis ſcriptum eſſet, nempe ceratis. Sed & *Tabularum* etiam nomine veniebant codices ex pluribus tabellis ſive πετςαδίοις membranarum compoſiti. Sub Imperatoribus autem qui poſt Conſtantinum vixerunt, nullum amplius ceratarum tabularum veſtigium invenitur. *Si Tabulæ* nominantur, non de his intelligendæ ſunt quæ proprie ſic veteribus vocabantur, codices nempe ex tabellis ligneis contexti, ſed ex membranarum vel chartarum πετςαδίοις, qui hac eadem appellatione *tabularum* vel tabellarum cenſebantur, quia eſſent quadrati, ut axiculi vel Tabulæ. Ideo & de teſtamentis ordinandis leges ſcriptę à Principibus qui poſt Conſtantinum imperarunt, *Chartæ* tantum meminerunt. Quæ charta multum à noſtra erat diverſa, compoſitionis forma & materia. Cum enim noſtra poſſit complicari in varias & multiplices figuras, charta antiqua quod ex phityris junci Ægypliaci tenuibus & junceis invicem conglutinatis texta eſſet, non recipiebat plicaturam, ſed in volumina convolvebatur, ut pluribus alibi docuit

Sal-

Salmaſius. Noſtra alterius eſt generis, formæ & materiæ, ex linteis diſcerptis contuſis & in formas incluſis, deinde ſiccatis. Quod nimirum inventum fuit ab annis circiter ſexcentis aut quingentis proditum. Tria igitur hæc tempora diſtinguenda fuere, ſive quatuor potius: unum quo non niſi ceratis tabulis tabelliſque utebantur: alterum quo & harum uſus fuit & præterea chartæ Ægyptiacæ & membranarum. Chartarum uſus Romanis innotuit ſub Ptolemæo qui ex conſilo Ariſtarchi Grammatici Romanis primus eas dono miſit. Pergamena ſive membranæ ab Attalo Pergameno, qui etiam Cratete Grammatico faciente Romam eam miſit. Tertium tempus illud fuit quo ceratarum tabularum ratio plane exolevit cum ſolis chartis Ægyptiis membraniſque ad libros & contractus ſcribendos utebantur. Quod poſt Conſtantini ævum omnino obtinuit. Quartum & ultimum, quo quadringentis aut quingentis circiter ab hinc annis, novo chartæ genere in Europa reperto, ea quæ ex papyro Nilotica conficiebatur antiquitus prorſum ab uſu receſſit. *Chartam lineam* auctores quidam Latini infimi ævi appellant. At *lignea* vocabatur quæ ex papyro Ægyptiaca confici olim ſolita, ut notat Euſtathius ad Φ Odyſſeæ, ξυλοχάρτη appellata vulgo; ὧν ἡ τέχνη, inqur,

ἄρτι

ἄρτι ἀπήλειπται: *quarum artificium nuper abolitum*, introducta nimirũ ex lino vel bombyce chartæ faciendæ arte. Græculorum qui poſt Conſtantinũ vixere, hæ ſunt obſervationes; ἀρχαῖοι ἐν ταῖς σανίσι ἔγραφον. οἷον μέχρι τοῦ νῦν ἔνθα γράφονται τὰ τῶν στρατιωτῶν ὀνόματα, ματρίκιον ὀνομάζεται, ὃ σημαίνει πλατὺ καὶ παχὺ ξύλον. *Antiqui in tabulis ſcribebant. Vnde & uſque adhuc in qua nomina militum ſcribi ſolent, matricula vocatur. Quod eſt latum & craſſum lignum.* Inde etiam illa ſunt Pauli abbreviatoris Feſti, verba ſive Feſti ipſius. *Tabellis pro chartis utebantur antiqui, quibus ultro citroque ſive privatim ſive publice opus erat, certiores abſentes faciebant. Vnde adhuc tabellarii dicuntur, & tabellæ miſſæ ab Imperatoribus.* Sub Nerone, ſi verum eſt quod Suetonius ſcripſit, ceratis tabulis adhuc utebantur Romani nec ferme aliis, tam ad ſcripturam privatorum quam publicorum contractuum, & præcipue teſtamentorum. Nam cum tunc decreviſſet Senatus eas tabulas quæ ſcripturam privati aut publici contractus continerent, ita ſignari ut ad medium perforatæ in ſumma margine trajecto triplici lino conſtringerentur, de ſolis ceratis illas intelligi poſt Salmaſium ſupra docuimus. Statuit eodem decreto Senatus, *aliter prolatas tabulas nihil momenti habere*, ut idem Paulus ſcribit, qui videtur ad illud tempus id Senatuſconſultum

tum

tum referre quo lex Cornelia Teſtamentaria facta eſt. Certe ſub Juriſconſultis ex quibus Digeſta compilata ſunt, videtur ille mos ſignandi & jus illud quod introductum fuit illo Senatusconſulto plane abrogatum. Nam teſtamenta in membranis & chartis ſcripta valere hi paſſim aſſerunt. Quinimo & *Tabularū appellatione chartas quoque & membranas contineri* reſponderunt. Atqui Senatus illud decretum de quo meminit Paulus, non alias tabulas deſignavit niſi in quibus exteriores ceræ, id eſt ſigna, fidem interiori ſervarent. Ex Ovidio tamen conſtat pluribus locis librorum de Ponto & Triſtibus epiſtolas in charta tum ſolitas ſcribi, id eſt in volumine chartæ. Videntur epiſtolæ ad longinqua mittendæ in charta tum fuiſſe ſcriptæ: quæ vero in urbe ad amicos mittebantur, in tabulis ceratis perſcribebantur. Quas & *duplices* vocabant, & *codicillis. Lini* porro ubique fit mentio in obligandis & ſignandis teſtamentis, & *lini inciſi* in aperiendis, ſimplicis, non triplicis in Juriſconſultorum ſcriptis. At triplex linum, tria lina ſunt, non unum. Præterea foramina illa tabularum per quæ trajicienda erant trina lina, minus conveniſſent chartis, quia perforatæ & lino ter trajectæ vix potuiſſent diu integræ permanere, tanta illius temporis chartæ fuit teneritas & tenuitas, præcipue

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ejus quæ *Regia* vocabatur. Eo tempore quo ceratarum tabularum uſus fuit ad ſcribendum, *ceras* vocabant ipſas paginas cera inductas. Vnde & *prima cera* & *ſecunda* in teſtamentis, pro prima & ſecunda tabula. Quæ vocabula temporibus Ciceronis & Auguſti in uſu paſſim fuerunt & apud auctores illius ſæculi occurrunt. In ſcriptis Juriſconſultorum nuſquam apparent. Gajus in Inſtitutionibus ubi agit de ſubſtitutionibus & faciendis ſecundis tabulis, *Extremam paginam teſtamenti* vocat quæ extrema cera fuiſſet ævo antiquiore: Item *priorem partem teſtamenti*, quæ *prima* dicta eſſet *cera* à veteribus. Neronis tempore hæc etiam appellatio invaluit, cum ſancitum tradit fuiſſe eo imperante Suetonius adverſus Falſarios, ut *primæ duæ ceræ* vacuæ *ſignaturis* vel *ſubſignaturis* oſtenderentur. Ex quibus verbis liquet eo tempore vel ſolum vel præcipuum uſum fuiſſe ceratarum tabularum ad conſcribenda teſtamenta. Eoque & Senatus-conſultum illud Pauli de tabulis ceratis perforandis videri debet non alienum eſſe ab illius temporis conſuetudine. Poſt Conſtantinum *Tabularum* & *Codicum* æque frequens occurrit in auctoribus mentio ut apud vetuſtos, ſed longe alio ſenſu. Nam illæ tabulæ non erant amplius ex ligno quadratæ σανίδες, &

cera

cera inlitæ, ſed πετζάδια vel ex chartis, vel ex membranis. Codices autem, ex illis ipſis tabulis contexta corpora chartacea vel membranacea. Ex chartis autem frequentius volumina fiebant quam codices, quæ ἐξειλήματα Græci vocant atq; ἐιλητάρια, eaq; diſtinguunt ἀπὸ τῶν πετζαδίων. Duo igitur hæc tantum tunc in uſu fuere, non ſolum ſcribendis teſtamentis, ſed omne genus litteris & contractibus vel inſtrumentis tam publicis quam privatis, codices ſive tabulæ, & volumina. In Collatione Carthaginenſi ſecunda non plura genera memorantur niſi hæc duo geſtis conſcribendis idonea, volumina & codices. *Marcellinus vir Clariſſimus Tribunus ac Notarius dixit, ſuſceptæ tabulæ ab Eccleſiaſticis notariis recitentur. cumq; intra ſabanum volumen ſchedæ membranarum pro parte deſcriptum, & codices tabularum pariter obſignati judiciariis offerrentur obtutibus; Marcellinus vir Clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, cuſtodes edicant utrum ſigna cognoverint. Leo Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit, cognoſco ſigillum meum. Marcellinus vir Clariſſimus Tribunus & Notarius dixit, Quoniam ab utraque parte impreſſionem agnitam conſtat, ea quæ præcepi à Notariis relegantur; Petilianus Epiſcopus dixit, ſic ſolent teſtamenta non geſta reſerari.* Volumen Schedæ membranarum nominat, convolutum χεδάριον, εἰλητόν. Quæ χεδία græcis &

σχεδάρια dicebantur. Nam & in ſchedis ſcribebant extemporaneas & tumultuarias commentationes, quæ poſtmodum emendatæ referebantur in Codices & Tabulas, ſive codices tabularum, ut ibi vocantur, id eſt codices ſive corpora ex tabulis, id eſt πετραδίοις contexta. Sic accipienda hæc Epiphanii verba in fine librorum de Hæreſibus, ὁ τὴν μεταγραφὴν ἀπὸ τῶν σχεδαρίων ἐν πετράσι ποιησάμενος; hoc eſt, *qui de ſchedis in codices tabularum tranſtulit.* Schedæ quæ Græcis σχέδια & σχεδάρια, chartæ ſunt vel membranæ volumina opiſtographa quibus nondum emendata ſcriptio mandabatur, aut notis excepta, aut etiam litteris, mox transferenda in codices tabularum. Sic *ſchedarum volumina à codicibus tabularum* diſtinguuntur in Collatione Carthaginenſi loco ſupra citato; *Volumen ſchedæ membranarum & codices tabularum pariter obſignati.* Schedæ volumen σχεδάριον eſt, codex tabularum πετράδες vel πετράδια. Nam tabulæ ſunt quæ σχῆμα τῆς πετράδος habent, ſive ex ligno ſive ex membrana ſint, codices nimirum ex pluribus tabellis compacti, ſive πετράσι. Imperitus Lojolita perperam reddidit in illo Epiphanii loco, *Qui illud opus è ſchedis in quaternionibus deſcripſit.* Imo, *è ſchedis in tabulas vel tabularum codices tranſcripſit.* Nam πετράδες ſunt tabulæ, quadra-

dratæ ex membranis paginæ ex quibus codices componebantur. Iſidorus, *Scheda eſt quod adhuc emendatur, & necdum in libros redactum eſt.* Cum non facta eſt μεταγραφὴ ἐν τετράσι. Hæ τετράδες dicuntur *paginæ* in Collatione Carthaginenſi, *Acta adhuc digeſta non eſſe in paginas,* εἰς τετράδια. Pro quo alibi dixit *Tabulas. Ex tabulis Notariorum Eccleſiaſticorum hæc eadem conditio relegatur.* In eodem libro diſtinguuntur quæ *in Codicibus* deſcripta ſunt, & quæ *in Schedis.* Hæc magnam partem ex Salmaſii ſcriptis mutuati ſumus, ſine quibus cum nec ſcribendorum teſtamentorum ritus apud veteres bene ſciri poſſit, ne quidem intelligi poſſe certum eſt, quæ ſignandorum eorumdem vel ſubſcribendorum ratio fuerit.

CAP. XXVIII.

Guilielmi Durandi barbaries notata & Latinitatis juriſque Romani ignorantia. Chartas pro litteris ab eo dici quæ in membrana ſcriptæ ſunt: Annulum & ſigillum confundi. Subſcriptionem modo poſteriorẽ eum ſignis facere modo, priorem. Sigillum characteratum pro annulo habente characterem barbare dici. Heraldi hæc probantis non minorem inſcitiam videri.

CVm igitur quæ priore capite explicata ſunt, ſi ignorata fuerint, non recte inveniri poſſit ratio antiquis ſervata in ſubſcribendis & ſignandis teſtamentis, cum ne-

que tu neque Durandus tuus horum ullum ſenſum habueritis, proinde fruſtra ex eo quem ſequeris & probas, quicquam de his certo te pronuntiare poſtulas? Barbariem igitur illius tui pragmatici, infantiam, inſcitiam, tuamque cum illius inſulſitate conjunctam paucis delineare, ſed graphice conſtitui, ut ſciant homines qualis tu homo ſis, quam imperitus omnis antiquitatis & veræ juris doctrinæ, qui totus à pragmaticorum nugis pendeas, quos certum eſt eo ſæculo vixiſſe quo lumen nondum litteris affulſerat, non ſolum humanioribus, ſed etiam juriſprudentiæ. Baldum & Bartolum æque potuiſſes nobis obtrudere, aut Acurſium, quam Durandum, velut idoneos aperiendis his ſecretis juris antiqui, quæ ipſis prorſus incognita fuerunt, non minus quam Durando. Quam confuſe itaque, quam inepte, quam etiam barbare expoſuerit formam ſcribendi & ſignandi teſtamenta, jam faxo hîc videas. Vult primo teſtamentum ſcribi *in membrana bona & ſolida*. Poſtea *chartam* vocat illam ipſam membranam. *Quo facto*, inquit, *plicabitur charta ipſa*. Hoccine Latinum eſt aut antiquum, *chartam* vocare quæ membrana ſit? Idioma illius temporis fuit, quod etiam nunc viget, quo *chartæ* appellantur omnes litterę & inſtrumenta. Nonne juriſconſulti omnes inter *chartas* & *mem-*

bra-

branas diſtinguunt? Sic ſane ſcribit Paulus lib. IV. ſententiarum de lege Cornelia: *Tabularum autem appellatione chartæ quoque & membranæ continentur.* Vlpianus leg. 1. D. de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas, de materia in qua ſcribebantur teſtamenta, *ſive chartæ ſive membranæ ſint.* Chartam ſane pro membrana dicere pluſquam imperiti eſt, dictum vero probare, quod hic facit Cauſidicus, non minus aſininum. Nec minus eſt ὀνῶδες, annulum pro ſigno accipere, ut eidem Durando uſu venit in his verbis quæ jam ſupra notavimus. *Debebit unuſquiſque ipſorum teſtium annulum vel ſigillum characteratum ad unam ex chordulis appendere.* Non eſt annulus ſed ſigillum annuli impreſſum quod appenditur chordulæ. Perperam igitur confundit annulum cum ſigillo. Si vero annulum pro ſignaculo accepit, tum male ſigillum illud appellavit, cum *ſigillum* & *ſignum* Latinis idem ſit, & utrumque æque diverſum ab annulo, ut id quod factum eſt ab eo quod facit. Et hoc quidem ad verba pertinet; ad res ipſas vero, quod ſecum ipſe diſſidet, dum primo videtur ſubſcriptionem poſteriorem facere ſignaculo cum teſtator alloquitur teſtes, poſtea ſubſcriptum prius velle quam ſignatum teſtamentũ, cum teſtes ipſi loquuntur; *Ego* C. *rogatus & præſens una cum omnibus infra ſcriptis teſtibus*, & quę ſequuntur,

tur, *in ipſa ejus pagina utique A*, id eſt teſtatoris, *teſtamento ſuo mandato manu mea in teſtimonium me* SVBSCRIPSI ET EAM SIGILLO PROPRIO, *ſi proprium habet*, *vel ſigello infra ſcripti* D. SIGNAVI. In quibus verbis apparet *ſigillum* ab eo accipi pro ſignaculo vel annulo contra Juriſconſultorum omnium & Latinorum aliorum auctorum uſum, apud quos *ſignum* & *ſigillum* idem, nempe çera quæ annulo impreſſa fuit, quod κηρόβȣλλον recentiores dixerunt, id eſt ceream bullam. Inde *Sigilla* recognoſcere dicuntur teſtes & *Signa*, ut in leg. IV. D. qui Teſtamenta, *ut rogatu teſtataris convenire & ſigna ſua recognoſcere.* Bullæ ſunt vel ad inſtar bullarum ex cera protuberantes orbiculi vel umbilici quibus annulus vel ſignaculum imprimitur. Sic impreſſa *ſigna* ſunt & *ſigilla.* At huic magno antiquitatis magiſtro, & ſic etiam placuit Sedanenſi Ludimagiſtro, *Sigillum characteratum annulus eſt habens characterem.* Idem paulo ſupra ſecundum juris ordinem fuiſſe ait ut teſtamenta prius ſignarentur, deinde ſubſcriberentur: ubi ſic teſtatorem ad teſtes rogatos loquentem facit: *Teſtibus omnibus præſentibus pure ad hoc adhibitis & rogatis obtuli ab eis ſecundum juris ordinem* SIGNANDAM ET SVBSCRIBENDAM. Cur ergo infra teſtes dicunt ſe ſubſcripſiſſe & ſignaſſe? Certe ille ordo juris

quem

quem prius agnovit inverſus eſt & non verus, cum ex ipſo jure jam oſtenderimus ſubſcriptum prius, dein ſignatum teſtamentum.

CAP. XXIX.

Formam ſubſcribendi & ſignandi teſtamenti à Durando ſpeculatore deſcriptam nihil habere Romani, & à jure & more antiquo alienam eſſe. De forma ſecreti teſtamenti faciendi jure Romano. Ea explicata ex leg. XXI. Cod. de teſtamentis. Aſinina ſtupiditas Heraldi toto hoc capite traducta.

QVæ porro dicit teſtator ad teſtes offerens eis teſtamentum ſuum ſubſcribendum & ſignandum, & quæ teſtes ipſi pronuntiant in eo ſubſcribendo & ſignando, ab ipſo Durando inventa ſunt, ex praxi fori fortaſſe quæ tunc vigebat, non ex more & ritu Romano. Multo minus ex juris Romani forma deſcendunt ea quæ obſervat de ordinatione Teſtamenti ſecreta quomodo facienda ſit. Nec enim formam antiquam exprimit qualis obtinuit ſub anterioribus legibus & Juriſconſultorum ævo, nec eum quæ recētius introducta eſt principalibus conſtitutionibus, ut repræſentatur in leg. xxi Cod. de Teſtamentis. Id paucis quoad fieri poterit planum faciemus, & primo quidem de poſtrema hac agemus. Nam certum eſt aliam in uſu fuiſſe cum teſtamenta in tabu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

lis ceratis ſcribebantur, aliam cum in charta tantum ſcribi cœperunt, id eſt in volumine chartaceo. Nam qui *chartam* dicebat eo tempore, non aliud intelligebat quam volumen è charta. De hac igitur ſpecie chartacea intelligenda ſunt verba legis prædictæ, qua ab Imperatore Theodoſio præſcribitur forma faciendi teſtamenti ſecreti, quam Græci interpretes Baſilicorum *μυστικὴν διαθήκην* appellant. Tres modos ibi proponit ſcripturæ teſtamenti occultandæ, cum teſtator neminē ſcire vult quæ in teſtamento ſuo ſcripta ſunt. *Conſignatam*, inquit, *vel ligatam, vel tantum incluſam involutamque poterat proferre ſcripturam.* In omnibus pro *conſignatam*, legitur *ſignatam*. Et ſane ita ſcribendum eſt. Nam *conſignatum* proprie dicitur quod plures ſimul ſignarunt, ut *conſcribere* eſt ſimul ſcribere. At hic *ſignatum* à ſolo teſtatore accipi debet. De charta convoluta, vel chartæ volumine ea ſunt capienda, vel etiam membrana: nam & volumina ex membranis faciebant. Sed ut plurimum eo tempore teſtamenta in charta fiebant, hoc eſt in chartæ volumine. Scribatur igitur charta à teſtatore quæ contineat ſcripturam teſtamenti quam nolit patere teſtibus. Tota ea pars quæ ſcripturam voluntatis eius habet, convoluta ſignetur vel ligetur. Nihil in ejuſmodi rebus ſignabatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

batur, quin etiam ligaretur, lino vel filo. Nam ut jam ſupra oſtenſum eſt, ſupra linum quo conſtricta erat charta ponebantur ceræ ſive bullæ cereæ, quibus imprimebantur ſigna. Ad volumina quidem chartæ quod attinet ubi totum teſtamentum ſcriptum erat & ſubſcriptum, per mediam partem, non in longum ſed in latum, id eſt qua umbilicus erat voluminis, ligabatur & ſignabatur à teſtibus. At cum pars tantum ſuperior quæ ſcripturam μυςικλὼ continebat, à ſolo teſtatore ſignanda erat & pars inferior aperta relinquenda in qua teſtes erant ſubſcripturi, non potuit ita ligari & ſignari ut per mediam voluminis latitudinem filo conſtringeretur, ſed per ipſam longitudinem filum circumduci debuit, & ſupra filum poſita cera annulo teſtatoris imprimi. Dicit ergo lex *ſignatam* vel *ligatam* proferendam eſſe à teſtatore. Quod ſignatum eſt etiam ligatum intelligi debet, ſed quod ligatum erat, non ſtatim & ſignatum accipi oportuit. Ideo Imperator ſancit ſignatam eſſe poſſe vel ligatam eam ſcripturam. Si nollet ſignare eam teſtator, poterat ſola ligatura ſufficere: ſi ne ligandam quidem exiſtimabat, incluſam tantum & involutam proferre. Et notanda legis hæc verba ſunt, *vel tantum incluſam involutamque proferre ſcripturam.* Quæ omnino oſtendunt de chartæ

volu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

volumine intelligi debere. Dum volumen involvitur, ſcriptura quæ in interiore ejus parte continetur, includitur. Vnde *evolvere* pro legere veteribus, quia dum evolvitur volumen, ſcriptura quæ in eo eſt aperitur; at occultatur & includitur dum involvitur. Eo tempore charta non aliter ad ſcribendum parabatur, quam convolvenda dum clauderetur, & evolvenda cum aperiretur. Vnde quod veteribus cum tabularum uſus fuit dicebatur, *ſecundum tabulas*, illo ſæculo quo chartæ tantum uſus fuit, dici ſolebat *ſecundum chartas poſſeſsionem dari*, ut Gloſſæ Nomicæ oſtendunt, his verbis Σεκουνδοὺμ κούαρτας, ἢ ἐκ χαρτῶν, ἤγουν τῆς διαθήκης διακατοχή. Vbicunque in jure teſtamenti in charta facti vel chartæ teſtamenti habetur mentio, de volumine chartæ id accipiendum eædem Gloſſæ præcipiunt, Τόδ᾽ ἐξείλημα χάρτης, αὐτὸ τοῦτο χάρτη καλεῖται. At Durandus iſte tuus *Chartam* appellat more ſæculi ſui, quæ membrana eſt. Hodieque enim *chartas* vocamus litterarum vel inſtrumentorum omne genus etiam in membrana ſcriptorum. Hi ſunt tres igitur modi teſtamenti μυστικοῦ faciendi, ut teſtator quod in volumine ſcriptum eſt ſignet, ea ratione qua diximus, vel liget: ſi neutrum fecerit, poteſt ſcripturam, ideſt eam partem in qua perſcripſit ſuæ voluntatis te-

ſtatio-

ſtationem, incluſam tantum & involutam proferre : id eſt eo uſque volumen quod ſcriptum eſt involvere, ut omnis ſcriptura ejus incluſa intra volumen lateat, cæteram partem vero quæ vacua eſt & nihil habet ſcriptum, non convolutam relinquere, ſed apertam, teſtibus nimirum ſubſcribendam. Hæc mens eſt illius legis, hæc ſententia, quam ſi dixero involutam hactenus & clauſam omnibus Doctoribus fuiſſe, vereor ne in me incurſet furioſus Advocatus ut in Salmaſium irruit; ſed ego tamen verum dixero. Pro his modis celandæ ſcripturæ teſtamenti vere Romano juri conſentaneis, quid habet ille pragmaticus quem nobis ingeſſit alter pragmaticus Advocatus, qui olim Grammaticus fuit? Nugamenta mera promit tantum ab antiquo jure aliena & tam longe à more Romanorum diſſita, quam ſchola Sedanenſis diſtat à foro Pariſienſi. Vult ſcribi teſtamentum in membrana, quam & *chartam* nuncupat. In ejus ſuperiore parte relinqui ſpatium trium aut quatuor digitorum. In dextero & ſiniſtro latere tantumdem ſpatii. In parte vero inferiori ſupereſſe ſpatium vacuum palmæ, hoc eſt quantum palma digitis extenſis protenditur, *vel circa.* Voluit dicere circiter, ſaltem debuit. Sed has delicias ſermonis cum rebus ipſis æque delicatis pro pabulo grato

ſibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſibi habeat Cauſidicus. In medio horum poſtea ſpatiorum ſcribi præcipit tenorem & ſeriem inſtrumenti. Quo facto plicari chartam ipſam, ea membrana eſt, ita quod ſpatium ſuperius conjungatur cum inferiori parte, & figi ibi tres chordulas. In plicatura vero dextri ſpatii duas, & ſiniſtri alias duas; ſic ut quælibet chordula duo habeat foramina interiorē litteram non lædentia vel attingentia, quibus chordulis ſingula ſpatia & ſingula conjuncta ligentur, ita quod interior littera videri vel legi non poſſit. *Porro de magno illo ſpatio inferiori vacuo tantum deberi diſcopertum relinqui quod ibi poßint patentes & apertæ ſcribi ſubſcriptiones teſtatoris & teſtium.* Ohe, jam ſatur ſum. Tædet barbariei, quiſquiliarum, nugarum, ineptiarum, quæ lactucæ ſunt labiis & ſtomacho noſtri Advocati dignæ, vel potius cardui & ſpinæ aſinino ejus prandio inſtruendo idoneæ. Res quidem ipſa ad occultum teſtamentum faciendum non adeo inepta, nec improbanda pro more qui tunc fortaſſe obtinuit, ſed ſi cum antiquo & Romano conferatur nihil habet ſimile. Quo magis ſtupiditas & inſcitia Advocati deridenda eſt qui triplex linum & trina foramina veterum tabularum ex hoc Durandi loco interpretanda eſſe ſtatuit. Quaſi ſcilicet linum illud veterũ idem eſſet cum chordulis Gulielmi, aut quaſi de mem-

membrana aut charta ampliſſimus ordo intellexerit qui perforandas tabulas ſanxit, & triplex linum per illud foramen trajiciendũ, cum tabulæ illæ ceratæ fuerint & in codicem compoſitæ. Cum Num. XVIII. Salmaſium carperet quod uno in loco tantum perforatas illas tabulas acciperet non tribus locis, falli eum conſtanter affirmavit. Quo teſte aut qua ratione convictum? Quia ſcilicet Durandus ſcripſiſſet de chordulis & foraminibus quæ ſupra expoſita ſunt. Sed vide ſtuporem hominis miſere delirantis, & triplex linum antiquarum tabularum cum his chordulis convenire, aut ex his explicari poſſe putantis. Non enim tres tantum chordulas agnoſcit Durandus eo loco, ſed ſeptem. Tres quippe chordulas in ea plicatura figi vult qua ſpatium membranæ ſuperius cum inferiori complicatum conjungitur. In plicatura vero dextri ſpatii duas item chordulas figendas ait, & in ſiniſtra totidem: ita ſunt ſeptem chordulæ. At triplicis tantum lini fit mentio in illo Senatuſconſulto. Præterea dicit Durandus quamlibet chordulam duo habere foramina. Sic erunt quatuordecim foramina; ſed quæ pro ſeptenis tantum computanda ſint. Nam in duplicata membrana ſive plicata non plus fuere, ſed in replicata eadem erunt quatuordecim. In tabulis vero, de

qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

quibus agitur in illo Senatus decreto, tametſi totidem foramina quot lina agnoſcerem, non poterunt eſſe niſi tria. Salmaſius autem docuit & nos poſt illum confirmavimus, uno foramine in tabulis facto per illud foramen triplex linum trajectum. Vnum quidem foramen per omnes tabulas ſimul clauſas ductum, ſed in unaquaque tabula ſive pagina ſuum foramen fuit. Trajectum triplex linum per foramen, & circumductum per latitudinem tabularum in media earum parte tabulas ipſas conſtringebat & ligabat. Supra linum tabulis ſtricte adhærens in circuitu impoſita erant atque impreſſa ſigna. Vnde & *obſignare* veteres Grammatici pro circumſignare poſitum dixere. Nam *ob* præpoſitionem in eo verbo ſignificare circum, ut in *obſidere* & *obvallare*. Feſtus: *Ob præpoſitio alias ponitur pro circum, ut cum dicimus urbem obſideri, obſignare, obvallare.* Ergo *obſignare* in tabulis vel tabellis obſignatis, idem quod circumſignare, quia cum filum quo ſignatæ ligabantur circum tabulas duceretur, ipſa etiam ſigna quæ lino erant ſuperpoſita, circum tabulas erant poſita. An hæc conveniant & paria faciant cum eo ſignandi genere quod Durandus explicat, interrogo naſum Advocati. In plicata membrana ea parte qua ſuperior ejus pars conjuncta eſt cum ea parte in qua ſcrip-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſcriptura deſinit, tres figuntur chordulæ totidem locis perforata membrana. In lateribus hinc inde binæ chordulæ per totidem foramina trajiciuntur. Dependent illæ chordulæ omnes è duabus extremitatibus ſingulæ extantes. His extremitatibus junctis appenduntur ſigna vel ſigilla. Nihil ſimile in ſignatis veterum teſtamenti tabulis, ſed omnia diverſa ut jam demonſtratum eſt. In tabulis autem ceratis, qualibus plurimum utebantur antiquiores Romani, longe alia ratio fuit occultandæ ſcripturæ teſtamenti, atque in voluminibus chartæ, in quibus ſemper ſcribi ſolita ſunt teſtamenta ſub medii imperii poſt Conſtantinum principibus. Nihil erat hoc tempore facilius quam involvere volumen eo uſque quo renus ſcriptum fuerat, & ſic ſcripturam includere. Si quis vellet & ligare lino partem involutam, id poterat facere. Si tum etiam teſtatori placebat & ſignare, id eſt ſignum filo imprimere, hoc etiam facile fuit. At in tabulis ligneis quæ ex pluribus paginis ceratis erant compactæ, longe alia ratione opus fuit, ad celandam ſcripturam teſtamenti. Cum enim in prima cera, id eſt prima tabula, nomen primi hæredis ſcriptum eſſet, in ſecunda nomen ſecundi hæredis, hoc eſt ſecundo gradu ſcripti & per ſubſtitutionem ad hæreditatem venturi, non poterat hoc occul-

tum eſſe ſubſcripturis : ideo cautum ſub Nerone, ut *primæ duæ ceræ*, hoc eſt prima & ſecunda tabula, *teſtatoris modo nomine inſcripto vacuæ ſubſignaturis oſtenderentur*. Ex nomine teſtatoris inſcripto planum fiebat teſtibus qui ſubſignaturi erant tabulas, hanc ejus voluntatis eſſe teſtationem, in qua ideo & nomen ſuum inſcripſerat, ut poſtea cæteram ſcripturam quæ nomina hæredum contineret, ibidem exararet. Quod ex eo loco Suetonii plane probatur. Nam ſive *ſubſignaturi* vel *ſignatores* ibi retineatur, tantumdem eſt. Poſtquam enim oſtendiſſet teſtibus tabulas teſtamento ſcribendo paratas in quibus & nomen ſuum ideo inſcripſerat, & declaraſſet iis, has eſſe tabulas ſuæ ultimæ voluntatis teſtes, imo & poſtquam eas illi ſubſignaſſent, nomina hæredum teſtator in iis ſcribebat, non palam nec coram ipſis teſtibus ſic ut ſcire poſſent quinam hæredes in tabulis ſcripti forent. Idque etiam colligere eſt ex leg. XXI. D. Qui teſtamenta, ubi dicitur, *licere teſtanti vel nuncupare hæredes vel ſcribere. Sed ſi nuncupat*, inquit, *palam debet*. Ergo ſi ſcribit, non debet palam ſcribere, niſi velit teſtamentum ſuum teſtibus innoteſcere. quod multi tunc factitabant. Sed in eo teſtamento quod μυστικὸν dicebatur, non palam à teſtatore nomina hæredum ſuorum ſcribi conſueverant. *Palam*

lam autem explicat lex ſupraſcripta, *non utique in publicum ſed ut exaudiri poßit, & exaudiri autem non ab omnibus, ſed à teſtibus. Et ſi plures fuerint teſtes adhibiti, ſufficit ſollemnem numerum exaudire.* Hæc debent obſervari cum nuncupantur hæredes. Cum vero ſcribuntur, clam teſtibus ſcriptura fieri poteſt. Id etiam liquet eo quo diximus modo factum ex leg. XXIV. D. eodem. ubi habetur: *Ex ea ſcriptura quæ ad teſtamentum faciundum parabatur, ſi nullo jure teſtamentum perfectum eſſet, nec ea quæ fideicommiſſorum verba habent pati poſſe.* Quo loco *ſcriptura ad faciendum teſtamentum parata*, non poteſt videri alia quam de qua loquitur Suetonius, in qua nomen ſuum tantum inſcripſit & teſtibus oſtendit, declarans has eſſe ſui teſtamenti tabulas. Ex ea ſcriptura ſi nullo jure teſtamentum perfectum eſſet, id eſt ſi reliqua ſollemnia juris impleta non eſſent, nec ea quæ fideicommiſſorum verba habent, peti poſſe pronuntiat Juriſconſultus. Hæc igitur in tabulis ſolis locum habuere ex Senatuſconſulto quod ſub Nerone factum eſt, & quod etiam ſervabatur temporibus Juriſconſultorum cum teſtamentum in tabulis ceratis fiebat. In Charta vero aliud obſervari ſolebat. Cum enim in volumine vulgo haberi ſoleret, potuit aliter conſuli teſtatori neſciri cupienti quos hæredes ſcripſiſſet, etiamſi

totam ſuam voluntatem in hæredibus nominandis perſcripſiſſet. Id jam explicavimus. Eadem tabularum & voluminum chartarum differentia ſervabitur in pupillari ſubſtitutione, quam tectam & ſecretam eſſe volebat teſtator, & à ſubſtituto ignorari. Si tabulis res ageretur, quales in uſu fuere priſcis Romanis, in extrema cera ſive pagina teſtamenti, fieri debebat, ut ſentit Gajus in Inſtitutionibus. *Pars illa*, inquit, idem, *in qua ſubſtitutio pupillaris ſcripta eſt, quandiu pupillus annos pubertatis egrediatur obſignata permaneat, & prior pars teſtamenti in qua hæres ſcriptus eſt reſeretur.* Sæpe pupillaribus hujuſmodi tabulis ſuperſcribebat teſtator ne aperirentur. Ait tamen Juriſconſultus leg. VIII. D. Teſtamenta, *Si ſeorſim ſignatas eas reliquerit teſtator quamvis nihil ſuperſcripſerit, Prætorem eas aperiri niſi cauſa cognita non eſſe paſſurum.* Ergo in iiſdem tabulis ita ſubſtitutio pupillaris ſcribi poterat ut etiam ſeorſim ſignaretur; ut prima nempe pagina aperta & reſerata, ſive reſignata, in qua vulgatis ſubſtitutio erat perſcripta, extrema quę continebat pupillarem ſubſtitutionem, clauſa & ſignata permaneret, uſque quo pubertatis annos egreſſus eſſet pupillus. In his itaque tabulis quæ pupillarem ſubſtitutionem habuere, duplex linum fuit, duplicia ſigna, & duæ diverſæ σφραγῖδες, ſive obſigna-

ſignationes. Tabulas igitur teſtamenti in duas partes diviſas & ſeparatas eſſe oportuit, quæ ſeorſim quoque ſignatæ, ut ex Juſtiniani Inſtitutis pate. lib.II. Tit. XVI. de pupillari ſubſtitutione, ubi dicit, *eam partem proprio lino, propriaque cera conſignari debere.* Ergo prior pars in qua hæredum inſtitutio & vulgaris ſubſtitutio ſcripta erat, proprium linum & propriam ceram quo conſignabatur habere debuit: item poſterior ſuum quoq; linum & propria ſigna. Iuſtinianus cujus temporibus ſola chartarum volumina in uſu erant ſcribendis teſtamentis, *primas partes* teſtamenti & *priores partes*, *inferiores* vero *partes* & abuſive *inferiores tabulas* quæ *extremæ* erant in tabulis veris *paginæ*, vocat. Diverſus autem fuit ſignandi modus in tabulis ligneis & in voluminibus chartæ. Cum tabulæ ligneæ ſemel ſignabantur, per latitudinem ipſam linum circumvolvi ſolebat, ut patet ex verbis Senatuſconſulti cujus meminit Paulus, ubi dicit perforatas in ſumma margine ad mediam partem tabulas triplici lino trajecto conſtringi. Si vero unæ & eædem tabulæ in duas partes diviſæ ſeorſim ſignandæ eſſent, non per latitudinem cujuſque partis linum circumduci debuit, ſed per longitudinem. Ad eum modum primæ paginæ ligari & ſignari potuerunt, & extremæ ſimiliter ſeorſim.

ſim. In Tabulis ceratis primæ tabulæ fuere & extremæ, quæ ſi ſeparatæ fuiſſent & proprio lino ceraque ſingulæ conſignatæ, non aliter id fieri licuit, quam quo dixi modo. Primæ igitur tabulæ quæ vulgarem ſubſtitutionem continebant, ſtatim poſt mortem teſtatoris aperiebantur. Secundæ in quibus ſubſtitutio pupillaris erat perſcripta, non niſi poſt mortem pupilli aut poſtquam pubertatis annos exceſſiſſet. In volumine chartæ ſi ſcriptum eſſet teſtamentum cum duplici ſubſtitutione vulgari & pupillari, quas & duabus ſeparatis ligaturis ſeorſim ſignari oportuit, alia via & ratio ſignandi fuit quam in tabulis. Prima pars, & ſumma voluminis quæ continebat vulgarem ſubſtitutionem, involuta proprio lino, & propriis ſignis per longitudinem voluminis obſignabatur. Altera verò pars & inferior voluminis in qua ſubſtitutio pupillaro convoerat, ab imo & extremo voluminis convollui ſolebat, & proprio etiam lino conſtringebatur per longitudinem pariter voluminis & ſignis propriis impoſitis ſolebat obſignari. Sic duo erant volumina conjuncta quamvis ex eadem charta facta, unum à principio, alterum à fine chartæ convolutum. Priore aperto reſignato atque evoluto, alterum clauſum & ſignatum & involutum manebat. Volumina ex membrana

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ut ex charta fiebant, & in his eadem ratio ſervata ut in chartaceis. Similiter & Codices membranacei in uſu fuere, qui eodem modo ligabantur lino & cera, ſignabantur ut lignei. Hæc explicanda erant, quia Juriſperitos etiam doctiſſimos latuerunt.

CAP. XXX.

Formam ſignandi teſtamenti à Durando traditam non fuiſſe Romanam iterum oſtenditur. Portentoſa Heraldi inſcitia qui pro antiqua eam obtrudat. Non minore imperitia obſignare & ſignare ab eo tanquam diverſæ ſignificationis notari. Alia multa obſervata.

POſt prolixum illum Durandi locum citatum, Σκυθικὴν ῥῆσιν dicere liceat, ita barbariſmis fœtus eſt, & moris antiqui juriſque Romani ignorantia multiplici ſcatet, in hæc verba prorumpit vetus Sedanenſis Ludimagiſter: *Iam vides*, opinor, *Salmaſi, quid ſit ſignare teſtamentum, quomodo ſignatum fuerit & poſtea ſubſcriptum.* Immo jam vides, Aſine, quantum hęc tua hariolatio à veritate ſe longe ſpernat, quam tu ſis in his infans, in quibus te magiſtrum ſummum & doctorem unicum facis. Quantum ille tuus Durandus ab antiqui juris moriſque in ſignando & ſubſcribendo teſtamento formulis reguliſque aberraverit. Recognoſce nunc ſaltem *plicatam* illam *chartam*, *fixas* in ea

ſeptenas chordulas , *appenſos chordulis annu-los*, & alia ſomnia ab illo prodita, tibi probata, quam nihil habeant affine Prætoriis edictis, Juriſconſultorum rationibus, aut Imperatorum cõſtitutionibus. Vel tui illius Durandi teſtimonio convinci potes ſecundum formam ab eo agnitam & deſcriptam nihil magnopere referre utrum ſubſcriptio teſtium præcedat & poſterius ſigna procedant, an utrumque fiat contrarium. Nam ubi teſtator membranam ſuam complicavit cui ſcripturã ſuæ teſtationis ingeſſit, ſeptemque in ea fixit chordulas & ſpatium reliquit in inferiore parte apertum & expoſitum ad ſubſcriptiones teſtium recipiendas, an multum putas retuliſſe utrum ſignarint prius teſtes, ſigillo cujuſque appenſo ad ſingulas chordulas, an ſubſcripſerint? Ideo ſane idem Durandus modo ſigna præponit, modo ſubſcriptiones, ut ante dictum eſt. At in more ſignandi Romano non potuerunt ſigna à teſtibus imprimi niſi poſt ſubſcriptiones eorundem. Nam ſubſcribebant teſtes in paginis interioribus ſub teſtamenti ſcriptura. Signa ipſa in exteriori ſuperficie codicis vel voluminis imprimebantur. Signa ad hoc ſolebant ceræ imprimi & ſupra linum quo tabulę erant ligatę, ut ſic teſtamentum clauſum & obſeratum uſque ad mortem teſtatoris ſervaretur, quod poſt ejus mortem ape-

aperiri & reſerari demum debuit lino inciſo vel rupto & ſignis ablatis. Sub ſigno igitur fuere ęque teſtium ſubſcriptiones ut reliqua teſtamenti ſcriptura. At in forma Durandina ſola teſtatoris ſcriptura clauſa exhibetur per plicaturam chartæ & chordularum fixionem in omnibus lateribus, quarum extremitati applicanda ſunt ſigna. Subſcriptiones autem teſtium minime ſub ſignis latent, ſed expoſitæ exhibentur, ut in ſpatio illo conſcriptæ quod plicatura non tegit. Cur ergo in tali modo ſignandi teſtamenti non debuerunt ſubſcriptiones ſuas agnoſcere teſtes, ut & ſigna? Nam ſane fraus illis potuit fieri, cũ nec clauſæ eſſent nec ſignatæ, ſed in propatulo poſitæ. Ideo & ſigna apud veterem formam recognoſci oportuit à ſignatoribus, quia cũ eſſent impreſſa in extimo corio tabularum, adulterari ea facile fuit; non idem de ſubſcriptionibus quæ intus latebant & occultæ erant cum reliqua teſtamenti ſcriptura. In forma ſecreti teſtamenti quod ab Imperatoribus Theodoſio & Valente proponitur leg. XXI. Cod. de Teſtamentis, teſtatoi ſignat ipſe prius proprio annulo eam partem chartæ in qua voluntatem ſuam ſcripto expreſſit. Deinde teſtibus adhibitis & rogatis offert eam ſubſcribendam & ſignandam. Ubi teſtes ſubſcripſerant, in eo nimirum chaitæ ſpatio quod vacuum à teſtatore re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

lictum erat, tum ea quoque pars in qua ſubſcriptiones teſtium ſcriptæ fuerant, cum reliquo volumine involvebatur, ligabatur ſimul, & ſignabatur à teſtibus. Si quis aliud quid ſe poſſe dicere putat in his obſervatum fuiſſe, prodeat atque id prodat. Nunc audi, Lector, facinus majoris inſcitiæ. Formulam ſubſcriptionis teſtium ex ingenio neſcio quam finxiſſe Salmaſium objicit Advocatus. Quam impudenter & falſo id dictitet, quæ notata ſunt à Salmaſio in lib. de modo Vſurarum teſtificantur. Non enim aliam commentus eſt formā ſubſcribendi ab ea quæ in teſtamento Gregorii Nazianzeni extat, ubi teſtes profitentur ſimpliciciter ſe Gregorii teſtamentum ſubſcripſiſſe ſua manu, abſque ulla ſignandi mentione. Ipſe vero probare eam ſe dicit quam Salmaſius rejecit, quæ propoſita eſt à Gothofredo, quamque adeo veram eſſe affirmat & juri conſentaneam. Credito qui volet huic homini aliquid eſſe juri conſentaneum, ego certe non credam, cum didicerim nihil eum in jure noſſe. Vis hujus rei certam fidem? En accipe. Docet eam formulam à Gothofredo adnotatam veram futuram ſi pro *obſignavi*, dixiſſet *ſignavi*. Ita enim ſcripſit Gothofredus, ſubſcripſiſſe olim teſtes in Teſtamentis, *Ego Lucius Titius ſubſcripſi, & Gaii Seji teſtamentum obſignavi.* Si pro *obſignavi* ille celebris

lebris Doctor poſuiſſet *ſignavi*, omnia recta forent. Cur iſtud ? quia incomparabilis alter juris coctor & Advocatus Conſultans in foro ut loquuntur, Ex ſua antiqua Grammatica, aut Gloſſario, ſi forte, aliquo inedito, obſervavit, *obſignare ſi proprie & accurate loqui volumus, aliud eſſe quam ſignare*. Quis Calepinus hoc illum docuit ? ex quo veterum gloſſarum libro hæc hauſit? Sed audiamus à Magiſtro quæ ſit harum vocum proprietas ac differentia. *Cum trajecto*, inquit, *lino ſigna omnia appoſita ſunt, tunc clauſum & obſignatum eſt teſtamentum. Quare teſtis unus ſignat, non obſignat.* Merito ſane Grammaticam in Sedani Schola docuit. Inde hæc ſunt dictata. Quam egregia ? Numquam putavi hunc hominem eſſe tam doctum. Ergo teſtis unus ſignat, plures obſignant. Cicero vapulet, qui *obſignare epiſtolam* ſemper dicit, numquam *ſignare*. Atqui, ut puto, unus obſignabat epiſtolam non plures, unum ei ſignum imponebatur non ſeptem ut in tabulis teſtamenti. In Epiſtolis ad Atticum quas in manibus habebam cum hæc ſcriberem, lib. v. Epiſt. XIX. *obſignaveram jam epiſtolam* : & lib. x. Epiſt. XIII. *obſignata jam epiſtola ſuperiore.* Apud Plautum alibi & in Pſeudolo ſemper legas, *Epiſtolam obſignatam*, numquam *ſignatam.* Idem Cicero qui *obſignatam epiſtolam* ſolet ſemper dicere in quibus unum ſi-

gnum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

gnum & ab uno qui ſcripſit. *Teſtamenta tamẽ obſignari* in Orationibus ſemper dicit, nec aliter umquam ponit. Quin & *obſignatores teſtamenti* vocat non *ſignatores* in Epiſtolis ad Atticum. In illis obſignatoribus cum ſeptem ſint, qui ſinguli ſignant tamen obſignatores dicuntur. Et pro ſe quiſque teſtamentum obſignant. Quod idem omnino eſt ac ſignare: & fanaticus error eſt hæc velle diſtinguere. Sed addit ex Grammatico pragmaticus; *Nihilominus ſignatum quandoque idem eſt quod obſignatum, uſu ita volente, & qui minus accurate loquuti ſunt, obſignare dixerunt pro ſignare.* Quæ imperitiæ ὑπερβολὴν nullam reliquam faciunt. *Signatum quandoque idem eſt quod obſignatum.* Imo ſemper & ubique, ſi tempora Juriſconſultorum ex quibus Digeſta fuere compilata ſpectemus. Non enim illi aliter loquuntur quam *ſignari teſtamentum* ſeptem ſignis. Vel unicus Pandectarum titulus lectus, Qui teſtamenta facere poſſunt, id oſtendit, & pluribus quidem locis, ſed præcipue leg. XXIII. Si teſtamentum quod reſignaverit teſtator, *iterum ſignatum fuerit ſeptem teſtium ſignis.* Item in leg. VII. D. de poſſeſſ. ſecundum tabulas; *Cum tabulæ teſtamenti plurium ſignis ſignatæ fuerint.* Vlpianus in Regulis Tit. Quemadmodum teſtamenta rumpuntur, *ſi ſeptem ſignis teſtium ſignatum ſit teſtamentum.* Apud Paulum lib. V.

Sen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Sententiarum Tit. xxv. *Ampliſſimus ordo decrevit tabulas adhibitis teſtibus ita ſignari.* Pauca hæc è pluribus dicis gratia ſubnotavi, cum tamen nuſquam aliter ſcribant, cum de ſignato à pluribus teſtibus teſtamento agitur. Et ſane nulla in verbo *obſignandi* notio eſt pluralitatis ſignantium. Quod enim *ob* præpoſitionem in eo verbo idem eſſe quod *circum* notat Feſtus, fallitur. Etiamſi hoc eſſet, in lino quod ambitu ſuo tabulas conſtringit, etiam ſinguli teſtes obſignant. Falſum ergo quod pedaneus Magiſter hic ait, *qui minus accurate loquuti ſunt, obſignare dixiſſe pro ſignare.* Si verum dicit homo futilis, Cicero minus accurate loquutus ſit, ne de Plauto dicam & aliis auctoribus qui ante Auguſti tempora ſcripſerunt, quibus epiſtola vel unico ſigno ab uno ſignata ſemper dicitur *obſignata.* Igitur à me diſcat tam grandis natu qui pueros olim docuit, vetuſtiores auctores, hoc eſt Auguſto anteriores, *obſignare* omni ſermone & indifferenter frequentaſſe de re qualibet pluribus ſignis aut uno tantum ſigno ſignata. *Obſignatores* ſimiliter appellaſſe qui poſtea appellati ſunt *ſignatores.* Apud Ciceronem nuſquam reperias *ſignatores*, ſed ſemper *obſignatores.* In Digeſtis verſa vice *ſignatores* ubique occurrunt, nullibi *obſignatores.* Ter aut quater *ſignatores* nominantur in titulo Digeſtorum, Teſta-

menta

menta quemadmodum aperiantur. Certe & in aliis vocabulis compoſita ad hunc modum verba lubentius videntur antiquiores in uſu habuiſſe quam ſimplicia. Ita *obligare* pro *ligare* dixerunt. Apud Plautum, *obliga, obſigna. Ligatas teſtamenti tabulas* apud Vlpian. legere eſt leg. 1. D. de bonorum poſſeſſione ſecundum Tabulas, quas priſcus aliquis dixiſſet *obligatas*. Ita *obſacrare* vel *obſecrare* triverunt pro *ſacrare*, cui contrarium *reſecrare*, id eſt ſacrum vel ſacramentum ſolvere. ſic *occludere* veteres magis dicebant, recentiores *claudere*. Atque ita in aliis quæ poſſem proferre, plurimis. *Ob* autem præpoſitio non circum ibi ſignificat, ſed pro *ad* poſita eſt. *Obſignare* ergo idem eſt quod *adſignare*, id eſt ſignum adponere. Perſius ideo maluit dicere, *adſigna, Marce, tabellas*, quam *obſigna*, quod videtur eo tempore jam fuiſſe obſoletum. Papinianus ſimiliter leg. LXXVII. D. de legatis II. *adſignari* poſuit pro eo quod antiquiori magis placuiſſet dicere *obſignari*: *Res quas ſub cura ſua habuit, adſignari juſſit*. De annulo loquitur quem teſtator cuſtodiæ cauſa majori natu filię tradiderat. Grammatici obſervant, præpoſitionem *ob* antiquos uſos eſſe pro *ad*. Ita Ennium dixiſſe *obcenſos* pro *accenſis*. *Ob os* pro *ad os*. *Obigere* pro adigere, *obmanere* pro admanere; apud aliquem manere. Ita ergo *obſignare* pro *adſignare*,

gnare, & ſignum alicui rei adponere. Simplici frequentius uſi ſunt omnes recentiores. Hi aliquando & *conſignare* uſurparunt de eo quod à pluribus uno tempore ſignatur. In Inſtitutis hoc ſenſu invenitur, de pupillari ſubſtitutione, quæ proprio lino propriaque cera *conſignatur*. In Codice aliquot locis ut leg. XXI. Tit. de Teſtamentis. Item leg. VIII. Cod. Qui teſtamenta. Sed apud Juriſconſultos ex quibus Pandectæ compoſitæ ſunt, nuſquam legas. Multo minus apud Ciceronem, quamvis citetur uno loco ex Oratione pro Quintio, ſed ibi cum vitio eſt, cum reſcribendum ſit *obſignantur* pro *conſignantur*. Numquam enim Tullius id verbi uſurpavit pro eo quod eſt ſignare vel obſignare. Nam *conſignare res litteris, & monimentis & memoriæ* ſolet dicere, non *conſignare ſignis*. In Grammaticum me delabi oportuit, ut grammatiſtam quæ neſcit docerem, quæ tamen fortaſſe ſcivit, ſed grammaticæ ſuæ oblitus videtur poſtquam deſtertuit eſſe pragmaticus. Sed heus tu, pragmatice nunc, olim grammatice, priuſquam hinc te miſſum faciam, qui tibi venit in mentem hic meminiſſe *trajecti lini & clauſi obſignatique teſtamenti*? Sic enim dicis, *cum trajecto lino ſigna omnia appoſita ſunt, tunc clauſum & obſignatum eſt teſtamentum*. Pro ſano certe nunc loqueris, & ad te fortaſſe rediiſti. Sed an obli-

tus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

tus es te proxime præcedenti Numero Durandum nobis citare ut ex eo diſceremus, quomodo ſubſcriberentur & ſignarentur olim teſtamenta? Formam illam veterem luculenter ab eo deſcriptam dicere? Vbi *trajecti lini* in illis dictatis Speculatoris mentio? Numquid triplex trajectum linum antiquorum putaſti idem eſſe cum ſeptem chordulis Durandi? Non etiam animadvertiſti te pugnantia loqui, cum dicis, *poſt ſigna omnia appoſita clauſum eſſe & obſignatum teſtamentum*? Atqui in hujus Numeri initio volebas ſignatum fuiſſe & poſtea ſubſcriptum teſtamentum, idque ex Speculi Durandini inſpectione. Nunc vero ſcribis cum trajecto lino appoſita ſigna ſunt, tum clauſum eſſe & obſignatum. Ergo hic ultimus in teſtamento faciendo actus quo clauditur & obſignatur. Ubi igitur illæ tuæ ſubſcriptiones aut quando factæ? An poſt clauſum & obſignatum teſtamentum? Ita certe credidiſti. Immo etiam ſignari ſolitum poſtquam eſſet clauſum. Sic enim Num. XVII. notaſti annulis tantum ſignari ſolita teſtamenta & omnia inſtrumenta clauſa. Vix poſſunt aliter accipi hęc tua verba. Sed age ſi ſubſcriptiones ſequutæ ſunt ſignacula, quo ergo in loco factæ? Intra an extra? Si nō delirabas, amicule, cum chartam iſtis conſcribillares, certe dormitabas. Nihil gravius dicam,

cam, quia te fuiſſe amicum aliquando Salmaſii fateris.

CAP. XXXI.

De ſubſcriptione Teſtamenti Remigii explicationes Salmaſii defenſa. Errores novitiorum juris Doctorum circa ſubſcriptiones & ſignacula teſtamentorum veterum notati. Tria in teſtamenti factione præcipua hoc ordine celebrata, ſcripturam, ſubſcriptiones teſtium & ſigna. Inſcitia Heraldi eventilata.

SI defricator eſt Juriſconſultorum Salmaſius, ut eum hic appellas, parce metu bona anima, nihil ab illo viro tibi mali ſperandum. Numquam adeo errabit ut te pro Juriſconſulto habeat. Sin ad mulos fricandos deſcendere non gravabitur & Ventidii munus invadere, tum cave defricatorem. Si cavebis, non tamen vitabis. Cum Salmaſius apertis rebus probaſſet ſubſcribi prius ſolita antiquitus teſtamenta quam ſignari; ideo in teſtamento Remigii animadverſione dignum cenſuit quod vulgo legitur, *Ego Remigius Epiſcopus teſtamentum meum relegi, ſignavi & ſubſcripſi.* Si ad antiquorum teſtamentorum formulam hoc exigatur, bene vidit Salmaſius non poſſe ſubſiſtere. Nam in illis neque teſtator neque teſtes, cum ſe ſubſcriberent, profiteri umquam conſueverunt, quod & ſignaſſent. Præterea tametſi

metſi hoc feciſſent, non debuit prætermitti *ſignandi* mentio, cum clauſula illa eſſet teſtamentorum ſuprema qua ſignabantur, poſtquam nulli amplius actui locus erat, niſi quo reſignarentur & aperirentur, poſt mortem teſtatoris. Cum hæc ita ſint, an fraudi eſſe debuit Salmaſio aut ei vitio dari, ſi plures rationes excogitavit quibus hunc nodum ſolveret? An non multis ſagittis ſæpe in vanum excuſſis, ultima ſcopum ferit? Primo conjectaverat Salmaſius, illud *ſubſcripſi* ἐπεξηγητικῶς additum fuiſſe, quo verbum *ſignavi* explicaretur. Et ſane illis temporibus & longe etiam anterioribus *ſignare* apud vulgum idem erat quod ſubſcribere. Vidi & multos hoc tempore qui in Chirographis cautionibus ita ponunt: *Ego ſubſcriptus & ſubſignatus*. Tu dicis hac conjectura nihil poſſe fingi ſtultius. Tua ſtultitia, ὦ μωρογέρον, ut ſic tibi videretur fecit. Ratio quam allegas ſtultiſſima & te digna. *Quaſi*, inquit, *non fuerit facilius delere quod ſcriptum erat obſcurius, maxime in ſubſcriptione ubi nihil eſſe debet inutile.* Quam ſtolidus ſis ac ſtupidus hæc indicant, atque etiam quam ignarus qui neſcias in hodiernis actionum formulis verba plura interdum poni idem ſignificantia: nec ſecus in antiquioribus, ut ex formulario Notariorum Græco cuilibet poteſt patere quod in Bibliotheca Regia ſer-

ſervatur. Poteſt & γλωσσηματικῶς adſitum ab aliquo videri alterutrum vocabulum, ut Gloſſatoris ea ſit explicatio. Et quis neſcit illo tempore quo Flodoardi libri ſcripti ſunt, in quibus teſtamentum illud Remigii extat, *ſignare* uſu frequentatum pro ſubſcribere? Quinimo ipſius Remigii ſæculo non aliter hæc vox uſurpata eſt. Aſcendamus ulterius vel ad Hieronymi ætatem, ſic in uſu eo tempore vulgi fuit, ut jam tibi ſupra oſtendimus. Nec alia nunc notione uſurpatur Europæis ferme omnibus, non ſolum quorum lingua tota Romana, ſed etiam barbaris quæ ex parte minima tantum Romanæ ſunt. Quid igitur veriſimilius quam ſciolos infimi ſæculi cum verbum *ſignavi* eo ſenſu in libris legerent, gloſſam addidiſſe qua exponerent id non acipiendum pro ſigillare, ut olim accipiebatur, ſed pro ſcribere? Quid ſi quod etiam Salmaſius poſuit, utrumque ipſe auctor adſcripſit, cum *ſignare* dubiæ tum eſſet ſignificationis? Certe reliqui teſtes qui in eodem teſtamento ſubſcripſere, nihil plus dicunt quam ſeſe ſubſcripſiſſe. Si ſtulte ita interpretatus eſt, non diu in illa ſtultitia manſit. Nam tribus ab hinc paginis aliam interpretationem attulit. Quod argumentum eſt non pro certa habuiſſe quam prius produxit. At inepte arguraris ſive cavillaris potius, cũ priorem expo-

tionem ad ſcripſit Salmaſius, non adjeciſſe dubitandi ſignificationem. Quaſi non potuerit poſtea de ea dubitare, quia cum de priore cogitavit, veram etiam exiſtimavit. Poſterior interpretatio Salmaſii firmatur etiam more tunc temporis recepto, quo teſtamenta & alia inſtrumenta ſubſcribebantur ſimul eodem loco & eodem tempore ac ſignabantur ſive ſigillabantur, affixo in imo chartæ vel membranæ ex cera ſigno juxta ſubſcriptionem. de quo paulo poſt. Sed quid tandem Papinianus noſter? Quid acumine ſuo dignum invenit, quo hanc difficultatem enodaret? *Bonus*, inquit, *Salmaſius videre non poterat quomodo teſtamentum ſignaretur prius quam ſubſcriberetur, nec ad eam rem quicquam Gloſſaria eum juvabant*. Sed bonus ille Salmaſius hoc reſponſum per me improbo Heraldo remittit, ſe videre non potuiſſe quod nuſquam fuit. Nec invidere illam perſpicacem mentis aciem homini oculatiſſimo qui videat etiam quæ non fuerunt. Scurrile etiam dictum hoc ejus de Gloſſariis exerto cachinno cum id legeret, irriſiſſe. Nam quis, ô Grammatice Sedanenſis, quis plura quam tu ſe contriſſe oſtendit gloſſaria? Quis citavit ea frequentius? Quis eorum auctoritate uſus eſt ſæpius? Teſtantur hoc & clamant quæcunque publici juris feciſti ſcripta, etiam quæ de jure. Omnes

eorum

eorum paginæ locis è Gloſſariorum libris petitis, repletæ ſunt. Etiam in hac Animadverſionum Voluſiiana charta cum nobis explicare velles quo ſenſu adverbium *ſimul* apud Latinos ſumi ſoleret, Onomaſtica & Gloſſaria te conſuluiſſe profeſſus es. Sed dic mihi, ὦ γλωσσοσυῤῥαπτάδη, an gloſſaria te ipſum docuerunt Teſtamenta olim prius ſignari ſolita quam ſubſcribi? Nam certe Juriſconſultorum veterum libri id te docere non potuerunt. Vnde ergo hanc hauſiſti doctrinam? Ex ſpeculo Durandi. In eo vidiſti quod non erat, & inde te vidiſſe retuliſti quod non videras. In illo quippe ſpeculo utrumque potuiſti animadvertere, & ſignatum prius quam ſubſcriptum, & ſubſcriptum prius quam ſignatum teſtamentum. Certe utrovis modo potuiſſe ſubſcribi & ſignari, aut ſignari & ſubſcribi ſecundum formulam quam præſcribit, ſi quid vidiſſes, videre potuiſſes. Sed cur non per te vidiſti quod jam ſupra tibi videndum objeci, & clarius quidem quam per ſpeculum Durandinum, ſubſcripta prius more & jure Romano fuiſſe olim teſtamenta quam ſignata, unico loco leg. VIII. Cod. Qui teſtamenta facere poſſunt, ubi mentio diſerta extat, *teſtamenti teſtium manu ſubſcripti, dehinc conſignati.* Hæc ſunt Gloſſaria, ſi neſcis, ô improbe nebulo, ex quibus Salmaſius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

didicit, quod ignoraſti, ſubſcriptionem in teſtamentis faciendis præmiſſam fuiſſe actui ſignandi. Quid ad hoc reſponſurus ſis, impatienter expecto, & an ulla Gloſſaria te ex iſto luto ſint expeditura quo te ignorantia tua demerſit, & pertinacia tua te immerſum detinet. Tam furioſe confidens es in utroq; ut in Elencho ſectionum primę tuæ Animadverſionis Num. XII. proſcribere non dubitaris, *Veſanam & furioſam Salmaſii arrogantiam, Iuriſconſultos neſciſſe quid eſſet ſignare teſtamentum, ſcribere auſi, pari ignorantia penſatam.* Nunc placide & ſine iracundia diſpiciamus ac diſceptemus utri ex vobis conveniat illa furioſa & veſana arrogantia pari ignorantia penſata. Adſide iſtic, ego ex adverſo ſeſſibulum mihi capiam. Iam conſedimus. Dic mihi ergo primum an tua diſſideat ſententia de ſignando & ſubſcribendo teſtamento ab opinione novitiorum Doctorum? Idem tecum illos ſentire dices. Optimum eſt, & jam id ſignificaſti cum à Speculatore propoſitam ſignandi & ſubſcribendi teſtamenti formam pro antiqua & Romana nobis obtruſiſti. Atqui ſcire debuiſti Durandum in illo ſpeculo juris Actionum formulas ad temporum ſuorum uſum accommodaſſe. At, inquies, eædem tunc fuere quæ olim uſitatæ Romanis. Bene eſt. Ergo & in charta pariter complicata

ſcri-

ſcribebantur teſtamenta apud Romanos veteres ut apud Narbonenſes tempore Durandi. Septem chordulis ad latera membranæ transfixis claudebantur, ad ſingulas chordulas appendebatur ſigillum unum. Septem illæ chordulæ pro lino poſſunt accipi, quo legimus fuiſſe tabulas teſtamenti ligatos in jure priſco. Lino illo inciſo reſignari & aperiri ſolita teſtamenta non ſolum in Digeſtis, ſed etiam in Codice occurrit leg. penult. de Teſtamentis, ubi mentio habetur teſtamenti, *quod legitimo modo conditum, ſeptemque teſtium ſigna habens, poſtea fortuito caſu, vel ipſius teſtatoris opera, lino toto vel plurima ejus parte inciſa in ambiguitatem incidit.* De lino uno cum hæc ſint intelligenda ſupra quod impoſita & impreſſa ſigna forent, ut factitatum olim docuimus, non uno loco id poterat incidi. Sane vel una parte ſi inciſum eſſet, aperiri potuit teſtamentum. An ergo linum unum de ſeptem chordulis aliquis poſſit interpretari, niſi tali pecuina ſtoliditate & ignorantia, ex te quæro. Apud Marculfum in formulis, teſtamenti poſt mortem aperiendi fit mentio lib. II. cap. XVII. *Recognitis* prius *ſigillis, & inciſo lino ut Romanæ legis decrevit auctoritas.* Qui ſeptem chordulas reſolverit vel inciderit quibus trajectæ erant membranæ teſtamenti tempore Durandi, an linum tabularum incidiſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

potuit videri? In Inſtitutis Iuſtiniani tabulas pupillaris ſubſtitutionis *proprio lino & propria cera* conſignari oportere traditur. Hoc eſt ut Græce reddidit Theophilus ἰδιάζοντι λίνῳ. An *linum* illud *proprium* de ſeptem chordulis intelligi debet aut poteſt? Senatusconſultum ſub Neronis imperio factum decrevit ut linum triplex per tabulas perforatas trajiceretur in ſignandis tabulis & ſupra linum quo tabulæ conſtringebantur inpoſitæ ceræ ſigna imprimerentur. An appenſa chordulis ſigna, ut in formula Durandi, eadem videri queunt cum impoſitis lino quo tabulæ ligatæ ſunt? An linum quo conſtringebantur tabulæ ligneæ, idem fuit cum ſeptem chordulis quibus in circuitu oræ membranę complicatæ cohibiliter Durando junguntur? Franciſcus Connanus in commentario Iuris Civilis lib. IX. cap. II. de teſtamento prætorio notavit primum impreſſa ſigna fuiſſe *tabellis*, tabulas debuit dicere, nam *tabellas* Romani dixere de codicillis epiſtolaribus, non de codicibus teſtamentariis; *poſtea Neronem voluiſſe ut lino appenderentur*. Locum deinde ſubjicit Suetonii, quo dicitur, tunc primum adverſus falſarios repertum fuiſſe, *ne tabulæ niſi pertuſæ ac ter lino per foramina trajecto obſignarentur*. At nulla in his verbis appenſorum lino ſignorum nota nec veſtigium. Smpliciter

tan-

tantum dicitur, ut tabulæ pertuſæ, id eſt perforatæ, obſignarentur lino per foramina ter trajecto; hoc eſt, ut triplici lino ducto circum tabulas, & per foramina, quæ in ſumma margine erant facta, trajecto, ſignis ſupra linum impoſitis obſignarentur. Quod explicat clare Paulus in lib. Sententiarum ad Leg. Corneliam teſtamentariam, ubi diſerte ſcribit ex ſententia illius Senatus decreti tabulas ita debere ſignari, *ut in ſumma margine ad mediam partem perforatæ triplici lino conſtringantur atque impoſitæ ſupra linum ceræ ſigna imprimantur.* Linum quo conſtringuntur & colligantur tabulæ, non poteſt laxum ita videri, ut dependeat ulla ex parte. Sed nec ſigna illi lino appenſa poſſumus imaginari, quæ ſupra linum ipſum ſtricte tabulis inhærens imponebantur. Non igitur ut ſtultè putavit Connanus, hoc novum tum ab illo Senatuſconſulto introductũ eſt ut ſigna lino appenderentur, cum antea tabulis ipſis imprimerentur, ſed cum ante illud decretum ampliſſimi ordinis unico lino tabulæ ligarentur & ſimpliciter circum tabulas linum duceretur, tunc ſanxit Senatus, ut triplex linum pro ſimplici fieret, & foramine in tabularum margine facto ad mediam earum partem, per illud foramen triplex illud linum trajiceretur & circumvolveretur conſtrin-

gendis tabulis. Subjungit Conanus ut ſciremus quali modo putaverit appenſa ſigna lino teſtamenti; *quod de lino dicit Suetonius ſimile eſſe quod hodie ſit in diplomatibus Regiis, quas chartas appellamus, in quibus ſigillum Regis ſerico filo imponunt.* Iam tenemus qualis Juriſconſultorum novitiorum fuerit ſententia de teſtamenti ſignandi forma, non aliam nimirum Romanis uſitatam fuiſſe, quam quæ hodie viſitur in diplomatis Regiis, in quibus ſigilla filo appenſa ſunt. Hoc idem credidit Durandus cum tradit unumquemque teſtium in ſignando, debere ad unam ex chordulis appendere ſuum ſigillum. Dic tu, redivive Trebati, poſt iſtos omnes quæ tua ſit ſuper his opinio? Vtrum impoſita cenſes & impreſſa lino fuiſſe ſigna, an vero appenſa? Appenſa, inquis. *Nam vidi non paucos contractus ita ſignatos, quorum nonnullis ſignatorum ſigilla appenſa adhuc extabant, quædam prorſus integra.* Inde & colligere te ais Num. XVII. non ſolum teſtamenta, ſed & cæteros contractus ita olim ſignatos, & morem hunc priſcum ac Romanum diu duraſſe, & ad noſtra uſq, tempora. Jam vides ex his & ſentis, niſi aſininæ prorſus es ἀναισθησίας, uter veſtrûm veſaniore ac magis furioſa laboret arrogantia & inſcitia, Salmaſiuſne qui dixerit Juriſconſultos Neotericos neſciſſe quid eſſet
ſignare

ſignare teſtamentum, an tu qui id ſcire cum tuis Doctoribus præſumpſeris, quod omnino ex his quæ jam docui te conſtat ignoraſſe. De ſubſcribendi & ſignandi actibus, uter præceſſerit cum etiam oſtenderim te non eſſe ſapientiorem tuis magiſtris, fatearis pariter oportet te veſania pluſquam tralaticia vexari, qui id auſus ſis carpere quod te neſcire intellexiſſes ſi ſanus fuiſſes. Affirmare non dubitaſti ſubſcriptionem poſteriorem fuiſſe ſignatione. At tuus ille Doctor, cujus in ſpeculo ſi te diligenter inſpexiſſes, aſinum pro Heraldo vidiſſes, alias ſubſcriptionem anteponite, alias ſignandi actionem: ut videatur velut in bivio ancipitem ſtetiſſe, quia in leg. XXI. Cod. de Teſtamentis, uno loco ſubſcriptio videtur poſtponi ſignaculis, in aliis quatuor ſubſequentibus ſignatum teſtamentum poſt ſubſcriptum memoratur. Eadem hæſitatio ab eadem cauſa alios etiam Juriſconſultos magni nominis in ambiguo tenuit, ut prorſus definire nequiverint, utrum ſubſcriberetur prius an conſignaretur teſtamentũ. Duarenus inter eos occurrit. Is commentario in Titulum Codicis Qui teſtamenta facere poſſunt, ſcribit, tertio ſubſcriptionem teſtium eſſe neceſſariam. Teſtatorem autem tabulas clauſas complicatas offerre teſtibus præſentibus & à ſe vocatis ut eas tabulas obſignent

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſignent & in illis tabulis ſubſcribant. Quibus verbis videtur ſubſcriptionem poſteriorem facere obſignatione. Contrarium mox ſignificat in his quæ continuo ſubjunxit ad hunc modum; *Quarto poſt ſubſcriptionem neceſſaria eſt teſtium obſignatio, ut dicitur hic in dicta lege Conſultiſſima.* Hotomannus in libro de partitionibus Juris cap. XXI. conſignatum prius innuit à teſtibus teſtamentum, deinde ſubſcriptum. Mitto alios qui non meliora attulerunt. Horum tu dictatis temere aſſenſus es. Ut reliquæ oves ovem ſequuntur quæ prior in aquam ſe projecerit, ita tu aſellus bonæ mentis errandi duces ſectatus es in aliis longe te doctiores, ſed in hoc more explicando nihilo intelligentiores. Si pari diligentia Codicem tuum evolviſſes & Novellas ſequentium Imperatorum, ut veterum Gloſſariorum libros ſtudioſe nocturna diurnaque manu verſaſti, æque ex illis didiciſſes, ſignandi actum poſt ſubſcriptionem teſtium fieri olim ſolitum, ut ex gloſſariis nos docere hîc inſtituiſti, *ſimul* Latinorum idem eſſe quod Græcorum ἅμα. Sed quoniam flecti non potes, ego te, ſi potero, frangam. Præter legem Codicis quam ſupra protulimus, Novella XLII. Leonis, diſerte etiam demonſtrat ſubſcriptionem ante ſigna fieri ſolitam. Tria jure quod olim apud Romanos obtinuit, concurrere debuiſſe

buiſſe ad conſummationem perfecti teſtamenti ibi dicit, *ſcripturam*, *ſubſcriptiones*, & *ſigna*. Hoc ordine non ſolum enumerat ut facta fuere, ſed etiam eodem ordine ita fieri debuiſſe, ut recenſentur, quæ ibidem narrat, oſtendunt. Nempe ſcripturam eſſe teſtem voluntatis ejus qui teſtamentum fecit. Ergo prior eſt ordine voluntas teſtandi quam ſcriptura teſtamenti, quæ eam declarat. Teſtium deinde ſubſcriptiones ſinceritatem ſcripturæ adteſtari dicit. Subſcriptiones itaque quæ ſcripturam teſtamenti firmant, ea poſteriores eſſe oportet. Poſtremo ſigna ſubſcriptionibus fidem præbere ait; αἱ σφραγίδες ἀξιοπιστίαν παρεχόμεναι τῶν ὑπογραφαῖς. Ergo ſigna ſubſcriptionibus neceſſe eſt videri poſteriora. Hoc ipſum eſt quod in Senatuſconſulto ſub Nerone facto dicitur, *Exteriorem ceram interiori fidem ſervare*. Nam ſubſcriptiones interioris ſcripturæ partem faciebant, quæ in cera exarabatur. At exterior cera ſignorum fuit ſupra linum quo tabulæ erant ligatæ impreſſorum. Locum ipſum integrum ex Novella illa Leonis adducam, quia paulo corruptior in Græcis cubat. Τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων περιστάτουσι τὴν ἔγγραφον διαθήκην, εἰ μὴ πάντα ἐμοῦ συνέλθῃ εἰς τελείωσιν αὐτῆς, γραφὴ ἡ μηνύει τὴν βούλησιν τοῦ διαθεμένου, καὶ μαρτύρων ὑπογραφαὶ ταύτῃ μαρτυροῦσαι τὸ γνήσιον, καὶ σφρα-

σφραγῖδες ἀξιοπιστίαν παρεχόμεναι τῆς ὑπογραφαῖς, εἰ μὴ ταῦτα ὁμοῦ συνδράμῃ, πρὶν ἢ ἐξ ἀνθρώπων γένεσθαι τὸν οὗ ἡ διαθήκη, ἀκυροῦσθαι αὐτήν. *Cum hæc ita ſe habeant, præcipiunt teſtamentū quod ſcripto fit, niſi hæc omnia ſimul conveniant ad ipſius conſummationem,* Scriptura *quæ voluntatem teſtantis ſignificat:* Subſcriptiones, *quæ ſcripturæ veritatem adſtruunt:* Signa, *quæ ſubſcriptionibus fidem præſtant, niſi inquam hæc concurrant priuſquam è vivis excedat ille cujus teſtamentum eſt, irritum eſſe ac nullum.* Et paulo ante teſtamenti quod ſcripto conficitur, firmitatem in his tribus conſiſtere eadem Novella ſtatuit, in ſcriptura, in teſtium ſubſcriptionibus & ſignis ἡ μὲν τῆς ἐγγράφου κυρώσις ἐν τῷ τὴν διατύπωσιν ἀπαρτισθῆναι, καὶ τῶν μαρτύρων ὑπογραφαῖς, καὶ τοῖς σφραγίσμασιν. Quid tu ad hæc, ô Cauſidice? Quam cauſam dices, ne tu indoctiſſimus omnium tuæ farinæ hominum videaris? Hiabis, ſed fruſtra. Certe ringi potius tibi dabitur quam hiſcere. Sanxit porro ea Conſtitutione Leo Teſtamentum ratum futurum tametſi neque ſubſcriptiones teſtium neque ſignacula haberet, ſi modo ſufficiens numerus teſtium adfuerit. Vident jam omnes, non enim curo quid ipſe videas, non poſſe ea verba ex teſtamento Remigii *ſignavi, ſubſcripſi* ex juris Romani quæ in ſubſcribendis prius, dehinc & ſignandis teſtamentis

tenuit,

tenuit, conſuetudine poſſe explicari, niſi ὕϛερον πρότερον admittatur. Præterea extra omnem dubitationem eſt, numquam vel teſtatorem vel teſtes in ſcribendis teſtamentis mentionem feciſſe quod ſignaviſſent. Quod eſſet & abſurdum ſimul & falſum: Cum ſigna poſt omnia imprimerentur ad extremam teſtamenti clauſulam in hoc factam ne ſic clauſum & obligatum obſignatumq; teſtamentum poſſet aperiri niſi à morte teſtatoris & præſentibus teſtibus qui ſignaverant iiſdemque ſigna ſua recognoſcentibus. Remigius autem eo tempore mortuus eſt quo mos juſque Romanorum in ſubſcribendis & ſignandis teſtamentis in Galliis tenuit. Mortem quippe obiiſſe fertur circa annum DXXX. Qui ſubſcribere nollet Salmaſianis conjecturis, viderit an verius ſit id eſſe interpretandum ex myſtici Teſtamenti ratione, in quo teſtator eam partem chartæ quæ ſcripturam continebat involutam & ligatam ſignabat, deinde vacuam à ſcriptura ipſe cum teſtibus ſubſcribebat, quæ poſtea ſimul cum priore parte convolvebatur & ſeptem teſtium ſignis ſignabatur. Ita potuit dicere Remigius, *Signavi & ſubſcripſi.* Sed ne hoc quidem ſatisfacit. Nihil enim cauſæ cur iſtius ſignandi modi debuerit in ſubſcriptione teſtator meminiſſe. Solebant eo tempore Chri-

ſtiani

ſtiani cum ſubſcriberent inſtrumenta contractuum, crucis ſignum primo effingere, deinde ſe ſubſcribere. Hujus moris mentio in Novella Iuſtiniani LXXIII. quomodo imperiti litterarum ſoleant inſtrumenta componere; his verbis Iuliani Anteceſſoris: *Sed & teſtes non minus quinque ſcientes eum imperitum litterarum & ab eo cogniti, & poſtquam imperitus vel ſanctam crucem fecerit, vel paucas litteras, unus ex iiſdem quinque teſtibus pro eo ſubſcribat.* Imperatores Conſtantinopolitani manu ſua in fronte bullæ tres cruces exprimebant, ad confirmationem ejus, ut apud Phranzen legere eſt. *Signare* autem pro crucis ſignum facere veteres abſolute dixiſſe notum eſt. Non tamen hoc mihi probatur. Nam & teſtes omnes qui ſubſcribunt in eodem teſtamento, idem feciſſent ac dixiſſent. Atqui adnotant tantum ſe ſubſcripſiſſe. Aliud igitur latet. Non enim nunc acquieſco alteri Salmaſii conjecturę de more id explicantis quo ſoliti ſub ultimo imperio fuere ſigillum ſuum in contractibus ad imum chartæ ſimul apponere & ſubſcriptionem. De quo ſequenti capite tractabitur. Sed more ac jure Romano factum illud teſtamentum Remigii liquet. In ejuſmodi teſtamenti factione ſolebat teſtator non ſolum primus ante omnes teſtes ſubſcribere, atque hoc ipſum declarare, ſed

etiam

etiam dicere quod relegiſſet & probaſſet omnia quæ in teſtamento ſuo ſcripta forent. Ita enim in teſtamento Gregorii ipſe Gregorius ſubſcribit, ἀναγνοὺς τὴν διαθήκην καὶ ἀρεσθεὶς πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις, ὑπέγραψα χειρὶ ἐμῇ. Scriptum à ſe vel ab alio teſtamentum ſuum relegebat teſtator coram teſtibus, agnoſcebat & approbabat quæ in eo erant ſcripta & ſubſcribebat. Tria igitur in ſubſcriptione teſtatoris requirebantur, relectio, approbatio vel agnitio ſcripti, & ſubſcriptio. Eaque omnia profiteri ſimul ſe feciſſe in ſubſcribendo debebat. Vnde veriſimile eſt & plus quam probabile, ſcripſiſſe Remigium: *Ego Remigius teſtamentum meum relegi, agnovi, ſubſcripſi.* Pro illo *agnovi* perperam *ſignavi* ab imperitis librariis repoſitum prorſus mihi conſtat, quibus verbum illud *agnovi* minus fuit eo ſenſu notum. Ex more qui numquam fuit vulgatam velle lectionem tueri, plane eſt, ut rabulæ ſuas voces reddam, laterem lavare, qui & ſcire debuit ex his quæ obſervata ſunt, quare & quomodo teſtamenta ſubſcriberētur prius, deinde ſignarentur, id eſt, lino ligarentur & ſignis lino impoſitis atque impreſſis clauderentur. Vnde apud Iuſtinianum in Inſtitutis, *proprio lino propriaque cera ſignari* dicuntur pupillaris ſubſtitutionis tabulæ. Cujacius in Paratitlo ad Titulum Digeſtorum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Qui teſtamenta facere poſſunt, ſigna poſt ſubſcriptiones nominat, ubi ſollemnitatis meminit ejus quæ *conſiſtit in teſtium numero ac ſubſcriptionibus & ſignis.* An ille ex eo genere pragmaticorum fuit, quos Cauſidicus dicit non attendiſſe ordinem? Weſenbecius quoque ad eundem titulum *ſubſcribendi* prius mentionem facit quam *ſignandi.* Sine dubio & iſte ὕστερον πρότερον commiſerit, ſi fides Rabulæ Pariſienſi. Sed nulla ei fides, juris utpote ignorantiſſimo, quod illi perfecte calluerunt. Cæterum aliquomodo ei ignoſcendum reor. Ignorantia peccavit. Cum Ludimagiſter erat, nihil niſi gloſſaria Grammaticorum tractabat. Vbi cruda juris ſtudia in forum detulit, & rabulariæ ſe addixit, non vacavit ei legere alios auctores præter pragmaticos. Et iſti ſunt quos dicit parum adhærere ordini, & res tantum ipſas curare. Suſque deque igitur habet cum ſuis illis pragmaticis, utrum prius ſignentur an ſubſcribantur teſtamenta. Verborum ſonos etiam non attendit. Nunc igitur audiat merito ſuo bipedum ignorantiſſimus ſimul atque impudentiſſimus.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

CAP. XXXII.

Explicata Remigii teſtamenti ſubſcriptio. Salmaſiuſque defenſus. De more ſignandi Romano antiquo quam diverſus fuerit ab inſtituto ſigillandi recentiorum quod Barbari introduxerunt. De variis ſigillorum generibus. In utroque ſignandi vel ſigillandi modo ſubſcriptionem ante ſignum vel ſigillum fieri ſolitam. Heraldi imperitia paſſim patefacta.

MAximum hoc imperitiæ argumentum in eo qui ſe pro perito veterum morum haberi poſtulat, dum tempora confundit & mores, reſq; quæ pro temporibus variarunt, non diſcernit. Omnia eadem nunc fiunt quæ olim facta ſunt, ſed plura modo diverſio. Scripſerunt antiqui, & nos ſcribimus. Sed alia materia illi & forma libros habuere, aliis etiam inſtrumẽtis ſcribendi uſi ſunt. Stilis quippe ferreis exarabant litteras in cera, vel tabulis cera inductis. Calamo etiam, id eſt harundine, non penna avium chartas notarunt. Et chartas quidem diſſimiles noſtris, ex alia materia factas, alio modo claudendas. Convolvebantur, non complicabantur. Cera utebantur in obſignandis Epiſtolis & claudendis. Nos quoque ceram in colligandis litterarum faſciculis & ſignandis uſurpamus, ſed alterius generis. Ex lacca fit Indica, & cera vocatur Hiſpanica. Qui ſigilla veterum putant eadem

 fuiſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

fuiſſe cum noſtris, nihil aliud illis ſupereſt, quam ut ceram quoque Hiſpanicam ad eam rem antiquos adhibuiſſe dicant. Certum quidem eſt ad eam propemodum formam qua hodie epiſtolas claudimus & lino conſtrictas ſive filo, ſuperimpoſito ex cera ſigillo obſignamus, ad antiquum Romanũ tabulas ſignandi morem acceſſiſſe. Sed inſanum & infinitum in modum hallucinantur qui ſigilla appenſa filo, vel funiculo ex chartis pendentia, ut habentur hodie in diplomatibus regiis, referunt ad priſtinã ſignandi Romanorum conſuetudinem. Nihil poteſt ſingi aut dici ſtultius. Qui diceret ſcuta & inſignia armorum quibus hodie nobilitas ab ordine plebeio diſcernitur, eadem eſſe cum ſtemmatibus & imaginibus quibus olim generoſi ab ignobilibus diſtinguebantur, non minus erraret. Plus quippe diſcriminis eſt inter hanc ſigillandi rationem & illam antiquam, quam inter ſtemmata Romæ nobilium, & noſtrorum ſcutifera inſignia. Signa quæ contractibus qua privatis qua publicis olim imponebantur, annulo fiebant ſignatorio. Annuli illi non majores erant quam ut digito geſtari poſſent. Non diſpariles ſunt, quibus hodie epiſtolæ ligatæ ſignantur, gemma vel ſignaculo non ampliore quam quod annulo digitis portando convenit. Sigilla vero quæ

appen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

appenduntur funiculis, non ab annulis ſignatoriis imprimuntur, ſed ab impreſſis grandioribus & ad hoc factis. *Tympana* vocat Robertus Montenſis in ſupplemento Sigeberti: *Ad hujus autem donationis & conceſſionis noſtræ memoriam & inviolabile firmamentum, Præſens privilegium per manum Alexandri notarii noſtri ſcribi & bulla aurea tympano impreſſa roboratum noſtro ſigillo juſsimus decorari.* Græci extremo imperio τυπωτήριον & βουλλωτήριον appellarunt: Antiquiores σφραγιστήριον, Latini *ſignaculum*: Vt & ipſa ſigilla hoc inſtrumento impreſſa βούλλας, ex Latino *Bullas.* Ita enim vocavit infima Latinitas hujuſmodi dependentia ſigilla *Bullarum* nomine, quia & bullæ formam haberent & eodem modo dependerent ex chartis, ut illæ ex pectore prætextatorum. Nam veteribus Romanis *bulla* dicebatur aurea, quod inſigne erat puerorum, *quæ dependebat à pectore*, ut notat Feſtus. *Bullæ* etiam dictæ protuberantia ad inſtar bullarum ornamenta quæ in cingulis fiebant. Virgil.

Euryalus phaleras Athamantis & aurea bullis
— Cingula.

Occurrunt & alibi *aureæ in cingulo bullæ* apud eundem, id eſt cingulum quod aureas bullas habebat. Ομφαλοὺς Homerus vocavit hoc verſu.

Ἐν δέ τοι ὀμφαλοὶ ἦσαν ἐείκοσι κασσιτέροιο.

Euſtathius interpretatur voce ſui temporis βούλας. Similia his bullis fuere ſigilla quæ tunc chartis ac diplomatis affigebantur & appendebantur. Nec cereas tantum uſurparunt, quæ & κηρόβουλλα unica voce nuncupata ſunt, ſed etiam aurea, quibus nomen χρυσόβουλλα. Sed & argenteæ quæ ἀργυρόβουλλα, & ex plumbo μολυβδόβουλλα vocitata. Quæ omnia tam ex metallo, quam ex cera, bullarum genera dependebant filo vel linea annexa ex chartis, cerea etiam aliquando ex particula membranæ ad hoc ita ſecta ut inſerta bullæ eam ex ſe pendentem retinerent. Si quis talia ſigilla in veteri Romanorum aut Græcorum jure quærere velit, fruſtra quæret quod non eſt inventurus. Alium præterea ad uſum hæ bullæ imponebantur quam antiqua ſigna. Hæc enim non alias imprimi rebus ſolebant niſi ut eas obſerarent & clauſas tutaſque à curioſitate aperire cupientium vindicarent. Non alio quippe fini ſignabantur tabulæ teſtamentorū & inſtrumentorum omnium quam utenſilia omne genus quæ ſignari annulo mos fuit, ut ſupra dicebamus. At ſigilla recentiorum ſive bullę pendentes, ad firmiorem fidem earum quæ ſic ſigillabantur litterarum facere tantum putabantur, & ideo fiebant ut & ipſæ ſub-

ſcrip-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſcriptiones. Hodie quoque in diplomatis regum ſigilla ejuſmodi appenduntur ſive κηρόβουλλα, ut magis fiant authentica, non ut ne poſſint aperiri & reſignari præter eorum voluntatem quorum intereſt. Atque inde etiam notabilis differentia exſurgit antiquorum & recentium ſigillorum. Cum enim antiqua fierent tantum ad claudendas & obſignandas tabulas contractuũ, litteraſque tam privatas quam publicas, ubi erant aperiendæ, lino reſoluto vel rupto vel inciſo cui hujuſmodi ſigna fuerant impreſſa, ipſa quoque ſigilla detrahebantur aut corrumpebantur. Nullum igitur apparere potuit integrum & inlæſum poſt apertas & reſignatas tabulas. Atqui hodie plura ſigilla illibata & intacta ad nos pervenerunt ex recentiore illo genere ſigillorum ſive bullarum, quæ ab hinc trecentis & quadringentis & amplius annis appenſa membranis & affixa adhuc videre eſt. Plura ipſe vidi, tenui, conſideravi in membranis contractuum & variorum inſtrumentorum ante quadringentos etiam vel quingentos annos ſcriptorum. Quo magis ludibrium debet Advocatus qui jactat ſe vidiſſe non paucos contractus ita ſignatos, ut uſus fuit apud antiquos Romanos, quorũ ſigna, inquit, ad huc extabant inviolata & integra. Non meminit ſe notaſſe Num. XIII. *Cum inciſo lino re-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſignabantur & aperiebantur Epiſtolæ, ſignum avelli ſolitum, ut nullum poſtea ſupereſſet. Atqui ſi homo eſſet vel paulo harum rerum juriſque peritior, ſcire debuit, non alio modo ſignatas & reſignatas teſtamentorum tabulas, quam epiſtolarum tabellas. Ex loco præterea in quo imprimebantur diſcrimen fuit antiquorum ſignorum & recentium ſigillorum. Signa in exteriore inſtrumentorum ſuperficie imponebantur, & ſupra linum ipſum quo erant colligata: ſigilla bullacea, ut ita dicam, recentiorum in infima membranæ parte, vel *chartæ* ut nunc vocamus ἰδιωτικῶς, filo affixa dependebant infra ſubſcriptionem ipſam. Græci κάτωθεν ἀπῃωρῆσθαι dicunt. In aurea bulla ſive χρυσοβούλλῳ Manuelis Imperatoris: εἶχε τὸ συνήθες κανίκλωμα καὶ ὑπογραφὴν τοῦ βασιλέως ταύτην, καὶ κάτωθεν ἀπῃωρημένην βούλλωσιν χρυσῆν. Vides infra ſubſcriptionem Regiam, bullam auream in charta fuiſſe impreſſam, ex ea dependentem. Durandus cum legiſſet ſignari in jure teſtamenta & ideo ſignari, ut eſſent ſecreta & clauſa, ſui temporis ſigillandi morem per ſigilla appenſa accommodavit illi quo veteres Romani utebantur, vel potius eundem cum illo fuiſſe exiſtimavit. Quod in illo venia dignum deputo in tantis ſæculi barbari tenebris, ſed Advocato famoſo quis hoc condonaverit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

rit, glande veſci præoptanti poſt fruges inventas? Imo vel carduos per me licet in deliciis habeat. Horum ſigillorum appenſorum duo ſtatui poſſunt genera, unum quod filo vel linea affixum dependebat, alterum quod lacinia ex ipſa membrana deſecta, quod *candatum* dixeris. Horũ etiam duplex ſpecies cum ſimplici cauda aut cum duplici. Longe exinde major ſupereſt dicenda inter *ſigna* Romanorum & *ſigilla* barbarorum differentia. Apud Romanos nemo non ſignavit; quia nemini non jus fuit ſignatorii annuli habendi, quo utenſilia, contractus, epiſtolas, teſtamenta tam ſua quam aliena obſignaret. Vbi vero mos prodiit novus ſigillorum appenſorum, nec ad claudendas litteras, ſed ad firmitatem ipſis majorem & auctoritatem conciliandam, inventorum, non cuilibet ſigillo uti licuit, ſed Regibus ac proceribus regni tantũ, Comitibus Ducibus & Nobilibus præcipuis qui adepti erant militiæ equeſtris dignitatem, quia ſummus hic tum habebatur nobilitatis gradus. Varia etiam in materia extitit ſigillorum differentia pro dignitate & conditione perſonarum quibus jus ſigilli permiſſum fuit. Materia ſigilli metallum aut cera. Metalli genera tria ad ſigillandum recepta, aurum, argentum & plumbum. Soli Reges ac principes omnibus generibus utebantur, ſed diverſe pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

perſonis ad quas ſigillatas litteras mittebant, ut jam ab aliis obſervatum. Antiquarii notant ante Carolum Magnum Imperatorem litteras auro ſigillaſſe principum Romanorum neminem. Alii producunt litteras aureis bullis ſigillatas à primæ ſtirpis Galliarum regibus. Sed fides ſit penes eos qui illas protulerunt. Sigillum etiam habuere Epiſcopi & Archiepiſcopi & in Gręcia Patriarchæ, ſed hi tantum ex praſina cera, aliquando tamen & plumbeum, quam & Romani pontifices ſibi proprum fecerunt. Differentia etiam fuit in duplici vel ſimplici bulla. Duplex ea vocabatur, quæ utrimque erat ſignata, quam & δίπτυχον βούλλην dixerunt, & uno verbo δικήρελον. Ea ſolos Cæſares uti fas fuit & Patriarchas. Perperam δικήρελον interpretantur viri docti de rubro & praſino, ita enim notant: *Atque cerea quidem duplex erat, rubra ſcilicet & praſina, dicebaturque* δικήρελον *& utebatur utraque Imperator.* Immo δικήρελον, idem eſt quod δίπτυχον κηρόβουλλον, quod erat nimirum utrimque impreſſum, non ex uno tantum latere. Vtriuſque generis rubrum & praſinum fuit, ſed iſto patriarchæ uſi. Balſamon de privilegiis Patriarcharum: Οἱ βασιλεῖς καὶ οἱ πατριάρχαι μεγαλιώονται μὲν καὶ διδασκαλικοῖς ἀξιώμασι διὰ τὴν τοῦ ἁγίου χρίσματος δύναμιν; ἐντεῦθεν γὰρ οἱ πιστοὶ δεσπόται καὶ αὐτοκράτορες κατη-

κατη-

κατηχητικῶς ὁμιλοῦσι τῷ χριστωνύμῳ λαῷ καὶ θυμιῶσιν ὡς ἱερεῖς, καὶ μετὰ δικηρείου σφραγίζουσι. id eſt, *cum duplici bulla ſignant.* δίπτυχον βούλλωσιν in litteris & conſtitutionibus Imperatorum paſſim legere eſt, quod & δικήρειον. In ſubſcriptione Novellæ Manuelis Comneni, quæ plurium quæſtionum λύσεις continet. Εἶχε, τῷ μηνὶ Μαρτίῳ ἰνδικτιῶνος ιδ', δι' ἐρυθρῶν γραμμάτων τῆς βασιλικῆς καὶ θείας χειρὸς, καὶ τὴν συνήθη δίπτυχον βούλλωσιν. In alia de homicidis, καὶ ἁγίου ἡμῶν βασιλέως τὴν συνήθη δίπτυχον καὶ κηρίνην βούλλωσιν. Atque ita paſſim in aliis. Nam multas vidi & nondum editas. Sed an per δικήρειον & δίπτυχον βούλλωσιν intellexerunt duplicem bullã, cum unica tantum alii ſignarent, ſolis autem Imperatoribus & Patriarchis duplicem ac geminam appendere litteris ſuis & ſanctionibus liceret? Ego prius verum magis arbitror. Ex utraq; parte inſignitum ſigillum vocarunt δίπτυχον & δικήρειον. *Contraſigillum* vulgo nuncupant quod ex altera parte impreſſum eſt. Non igitur ex illis geminis bullis altera fuit rubra, altera praſina, ut videntur ſentire viri docti, cum ex una eademque cera lutea aut praſina fuerint illa δικήρεια, ſed ex praſina Patriarcharum, ex lutea vel rubra Imperatorum. Horum bulla, præcipuè quæ ex auro, pendebat ex ſerico filo, purpura tincto. Nicetas in Ma-

nuele

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

nuele Comneno: Ὁ δὲ δὴ μέγας δομέστικος τ
τῶν βασιλείων φυλακῆς ἐπιμεληθεὶς, καὶ τοῦ
βασιλέως Μανουὴλ παρὰ τοῖς ἀστοῖς ἀναγορεύ-
σεως γράμμα ἐρυθροσήμαντον, σφραγῖδι τ
χρυσείᾳ καὶ σηρικῷ νήματι ἔμπεδον, κόγχης
ἀναδιδομένῳ αἵματι, τῷ κλήρῳ τοῦ μεγάλου νεω
ἐπιδίδωσι. Perperam hæc ultima vertunt: *Litteras rubro aureoque ſigillo & ſerico filo munitas & conchæ ſanguine pictas clero magni templi offert.* Debuit ad hunc modum potius Latinè reddi, *Litteras rubro encauſto ſubſignatas, aureo ſigillo & filo ſerico munitas, conchylii ſanguine tincto, clero magnæ ædis offert.* Non enim litteras conchæ ſine purpuræ ſanguine tinctas fuiſſe intelligit, ſed filum ſericum cui affixum & appenſum erat aureum ſigillum. In alio Chryſobullo ejuſdem Manuelis ὀξεῖα μετάξα vocatur; id eſt filum ſericum acuti ſive purpurei coloris: καὶ κάτωθεν ἀπηωρημένην βούλλωσιν χρυσῆν διὰ μετάξης ὀξείας. *Et ſubtus dependentem ſigillationem auream filo purpureo.* In illis autem Nicetæ, ἐρυθροσήμαντον γράμμα, litteræ ſunt Imperatoris, rubro ſubſignatæ, id eſt litteris cinnabarinis vel ex minio. Nam ſubſcriptio Imperatorum talis, non ex atramento vulgari. Σημαίνεσθαι autem eo tempore Græci pro ſubſcribere uſurparunt, ut Latini *ſignare.* ὑποσημαίνεσθαι pro eo alibi dixerunt ut ſupra oſtendimus, quo expreſſerunt Latinum

ſub-

ſubſignare. Nicetas in Iſacio Angelo, διὰ βαφῆς ὁμοίας ὑποσημαίνεσθαι τοὺς τόμους τῶν δημοσίων λόγων τε καὶ γραμμάτων. Eundem colorẽ in ſubſcribendis publicis libellis & litteris dedit. ὑπογραφὴν eodem ſenſu in aliis Imperatorum Græcorum Conſtitutionibus paſſim legere eſt. Duo igitur tunc fuere quibus Imperatorum diplomata rata & firma reddebantur, ſubſcriptio eorum manu facta litteris rubris, & ſigillum ſubter appoſitum ex filo purpureo dependens. In Occidente idem uſus obtinuit vel à prima ſtirpe noſtrorum Regum, ut quibuſdam placet, vel à Caroli Magni temporibus. Non enim eo ſæculo ratæ habebantur Regum litteræ niſi eorum ſubſcriptione & ſigillo munitæ forent. Theganus de geſtis Ludovici Pii, quæ vivente adhuc Ludovico edita videntur: *In tantum largus, ut antea nec antiquis libris, nec in modernis temporibus auditum eſt. Vt villas Regias quæ erant ſui patris, & avi & tritavi fidelibus ſuis tradidit eas in poſſeſſionem ſempiternam, & præcepta conſtruxit, & annuli ſui impreſſione cum ſubſcriptione manu propria roboravit.* In altera charta ejuſdem Ludovici Pii ex chartulario Cluniacenſi, *Et ut hæc auctoritas firmior habeatur & per futura tempora melius conſervetur, de annulo noſtro ſubtus juſſimus ſigillari.* Subtus eſt quod Græci dicunt in eadem re, κάτωθεν. Hæc annuli im-

impreſſio cum ſubſcriptione chirographa ad confirmandas litteras, multum diſtat ab ea ſignandi ratione, quæ veteribus Romanis fuerat recepta, cum hæc ad claudenda inſtrumenta & litteras omne genus contractuum inſtituta eſſet, quibus apertis & reſignatis ipſa ſigna deperdebantur, nec amplius comparebant. At in illo novo ſigillandi inſtituto ipſa ſigilla manebant, & ſerviebant fidei firmandę litterarum quibus erant appoſita, haud ſecus atque ipſa ſubſcriptio. In Angliam hic novus mos introductus eſt poſt Normannorum adventum, cum antea chirographa firma eſſent ſola ſubſcriptione cum aureis crucibus, ut ex Juſtiniano notavimus. Ingulfus Abbas: *Ante Normannorum adventum in Anglia chirographa firma erant cum crucibus aureis abſque ſignaculis, ſed Normanni cum cerea impreſſione per uniuſcujuſque ſpeciale ſigillum ſub inſtallatione trium vel quatuor teſtium conficere chirographa inſtituerunt.* Ita legendum pro *inſtillatione.* En tibi Advocate, ſignandi ratio & ſubſcribendi ſimul quam dicis didiciſſe Salmaſium ab aliqua Chimęra. Si ullum fuit beſtiæ talis monſtrum, non fuiſſe dixerim tua portentoſa inſcitia monſtroſius. A nationibus barbaris quæ Europam inundarunt & invaſerunt, inventum fuiſſe hunc ſubſcribendi & ſigillandi ſimul modum, ad firmitatem litteris, tabulis &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

inſtrumentis contractuum, diplomatiſque Regiis conciliandam prorſus conſtat. Et clare id docuit Marculphus in Formulis, cum in aperiendis teſtamentis poſt agnitionem ſignorum *incidendi lini* morem Legis Romanæ auctoritate ſancitum ſcripſit loco ſupra citato. Ea ſignandi ratio ad obſerandas tabulas lino circumpoſito & ſignis lino impoſitis atque impreſſis, plane Romana fuit. Quæ ſigna vel ſigilla rumpebantur & diſſipabantur lino inciſo vel reſoluto & reſerato teſtamento. In barbarica vero ratione qua ſubſcriptio ſimul & ſigillatio adhibebatur ad ſtabiliendam fidem contractuum vel litterarum Regiarum, ſigilla ſemper in ipſis tabulis fixa & appenſa manere debuerunt donec vetuſtate abolerentur. Vidimus in multis quæ inveteraverant, ceram adeo duram ut lapidis inſtar haberet. Duorum autem generum hæc nova & à barbaris inducta ſigilla fuere. Unum fuit quod in ipſa charta cera infixa & fragmento chartæ tecta imponebatur juxta ipſam ſubſcriptionem. Vulgares homines & plebei eo utebantur; & de his intelligendus locus Ingulphi Abbatis, quem ſupra retulimus. De iiſdem accipienda ſunt verba Concilii Londinenſis celebrati Anno cIɔ Iɔ xxxviii. Sub Othone Cardinali Legato ſedis Apoſtolicæ apud Matthæum Paris,

quo

quo ſtatutum fuit, quoniam tabellionum uſus in regno Angliæ non haberetur, propter quod magis ad ſigilla authentica credi eſt neceſſe, ut eorum copia facilius habeatur, ut ſigillum habeant non ſolum Archiepiſcopi & Epiſcopi, ſed etiam eorum Officiales, item Abbates, Priores, Decani, Archidiaconi & eorum Officiales, Decani rurales, *nec non Eccleſiarum Cathedralium capitula & cætera quoque collegia & conventus cum ſuis rectoribus.* Hodie quoque collegia, capitula, Academiæ & alia ejuſmodi corpora ſigillum habent ejuſmodi quo affixa in ima parte membranæ cera & chartulę ſegmento tecta, ſignaculo imprimitur juxta ipſas ſubſcriptiones. Tabelliones quoque ipſi multis in locis utuntur talibus ſigillis, nonnulli in chartæ ſumma parte fixis ut hic Leydæ fit, alii in ima juxta ſubſcriptionem. Subſcriptio ipſa vulgari voce *ſignum*, *Seing* in idiomate noſtro vocatur, ſigillatio vero *Seau*, id eſt ſigillum. Non hodie autheri, ut diximus, hæc introducta ſigillandi ſimul & ſubſcribendi forma, ad litteras contractuum magis authenticas reddendas, ſed ab antiquis Gotthis, Vandalis, Francis, Burgundionibus in Europam introducta. In legibus VViſigotthorum, quæ ab Eurico primum compoſitæ ſunt Æra D IIII. hoc eſt anno Chriſti CCCC LXVI. deinde à Le-

vigildo Anno DCLXX. poſt adeptum Hiſpaniæ & Galliciæ regnum, & poſtremo à ſequentibus Gothorum regibus abſolutæ. In his lib. II. Tit. V. cap. XIII. de Teſtamentis, ſive qualiter confici vel firmari conveniat ultimas voluntates, aliquot locis fit mentio, *ſubſcriptionum & ſignorum, Subſcribendi & ſigna faciendi; ſubſcriptorum & ſignatorum.* Quæ ſigna ibi ea ſigilla ſunt cum ſubſcriptionibus & juxta ſubſcriptiones apponi ſolita eo quo diximus modo. Nam ſiquis putat de eo ſignandi more accipienda eſſe quo Romani teſtamenta prius à teſtibus ſubſcripta, deinde ut nemini paterent ante mortem teſtatoris, lini vinculis conſtricta ſigniſque impoſitis lino claudebantur, valde errat. Cum enim roborata his *ſignis* ut & ſubſcriptionibus teſtamenta ibi memorentur, *ſigilla* debent intelligi ejus generis quibus muniebantur ut authentica eſſent, una cum ſubſcriptionibus. Sic in eo capite habetur: *Morientium extrema voluntas ſive ſit auctoris & teſtium manu ſubſcripta, ſive utrarumque partium ſignis roborata.* Et paulo poſt de ſcripturis; *ſive quæ auctoris manu ſubſcriptæ, ſeu quæ utrarumque partium ſignis extiterunt roboratæ.* Ita Græci ἐμπεδῶσαι, ἀσφαλίσασθαι dicunt litteras principum hujuſmodi ſignis vel ſigillis, in verbis Nicetæ quæ ſupra attulimus: γράμμα ἐρυθροσήμαντον,

τον, σφραγίδι τε χρυσείᾳ καὶ σηρικῷ νήματι ἔμπεδον. *Litteræ rubro ſubſcriptæ, & ſigillo aureo ſericoque filo roboratæ.* Ita Latinis infimis dicitur *ſigillo roborare, munire, firmare, firmum & ratum facere.* De his ſignis vel ſigillis intelligenda quoque eſſe hæc verba legum VViſigothorum lib. II. Tit. V. cap. XVII. jampridem Salmaſius docuit: *Poſt hæc quærenda ab utriſque partibus in domeſticis ſcriniis inſtrumenta chartarum, ut comprobatis aliarum ſcripturarum ſubſcriptionibus ac ſignis, poſſit agnoſci, utrum habeatur idonea an reprobetur indigna.* Non enim convenit antiquo obſignandi mori hæc collatio & comparatio ſignorum, ut ſcripturarum & ſubſcriptionum. Cum igitur in Hiſpaniis à Gothis qui eas occupaverant, hæc ſubſcribendi & ſignandi forma ad fidem inſtrumentis quærendam inſtituta pridem foret, non mirum eſt ſi Iſidorus Hiſpalenſis ignoravit quid eſſet *ſignare teſtamentum* apud antiquos, quum ejus ætate ille ſignandi modus plane exoleviſſet. Ideo ſcripſit, *ſignare teſtamentum* idem eſſe quod notare, *ut notum ſit quod ſcriptum eſt.* Advocatus vitiligator ad hanc Salmaſii notam, hoc adnotavit: ***Nam ad Iſidorum quod attinet, quem ibidem explicare conatur, laterem lavat.*** Hoc reſpondere eſt an nugari? Dic, inepte, aut nega recte Iſidorum explicaſſe quid ſit *teſtamentum ſignare.*

An

An laterem lavat qui judicat non intellexiſſe quid eſſet quod ab ipſo prave expoſitum liquet? Oſtende ergo bene explicaſſe aut ipſe latrinam lava, potius quam laterem. Nam dignus es, pro tua iſta importunitate & inſcitia. Quandoquidem igitur in Europa hæc nova ſubſcribendi & ſignandi conſuetudo à barbaris qui eam occuparant invecta eſſet, an alienum à veri ſimilitudine quod dixit Salmaſius Remigium in teſtamento ſuo morem tunc receptum in Galliis ſequutum eſſe, & ſimul ſubſcripſiſſe, & ſignaſſe ſigillo juxta ſubſcriptionem appoſito teſtamentum ſuum? Tempore Remigii primæ proſapiæ Francorum Reges in Galliis regnabant. Romani qui erant ab origine ſub eorum dominatione, mores & jura Romana obſervare non vetabantur, & jus illis aliter reddebatur quam Francis ipſis, ut ex lege Salica conſtat. Ipſi vero Franci more ſuo ſignabant & ſubſcribebant ſua teſtamenta. Et potuit videri Remigius morem in Galliis novum tunc uſurpaſſe. Niſi verius, quod pro vero ſupra propoſuimus, legendum eſſe *Relegi, agnovi, ſubſcripſi.* Idque magis mihi nunc probatur, quia teſtes ſecundum illum novum morem debuerunt etiam ſubſcribere & ſignare, qui tamen dumtaxat ſubſcribunt. Mira nihiloſecius & pro mon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſtro habenda hæc inſcitia quæ aſſerit Chimæram eſſe & à Salmaſio inventam ſubſcribendi ſimul & ſignandi vel ſigillandi conſuetudinem, quam & antiquiſſimam eſſe oſtendit, & hoc etiam tempore multis in locis uſitatam. Vidi ipſe multas veteres chartas cum veſtigiis hujuſmodi ſigillorum ex cera rubra juxta ſubſcriptiones inſtrumenti affixorum. Hodie quoque in Anglia privati in chirographis cautionibus ſubſcribunt ſimul & ſignant, hoc eſt ſigillum ſuum apponunt in ipſa charta fixum juxta ſubſcriptionem. Quo more utuntur in minoris momenti obligationum ſchedulis. In aliis habent ſigilla caudata, ut ita dicam, ad oram chartæ appoſita & appenſa. Tabelliones quibus præſentibus ea conſcribuntur, adnotare ſolent chartam à partibus *ſubſcriptam* fuiſſe & *ſigillatam*. In Galliis horum ſigillorum quæ appendebantur non omnibus jus datum olim fuit. Duces, Comites iis utebantur, & ex nobilitate qui militiæ dignitatem, hoc eſt equeſtrem gradum adepti erant. In hiſtoria Monaſterii Reomacenſis, quod nunc appellatur *Monaſterium S. Ioannis* & ſitum eſt in agro Alexienſi Ducatus Burgundiæ, non longe à Semurio, citantur ab auctore qui edidit, litteræ Hugonis tertii Burgundiæ Ducis, in quibus utriuſque filii ejus Odonis & Ale-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

xandri ſubſcriptiones leguntur, ſed Odonis tantum ſigillum cum ſubſcriptione ejus appoſitum, quia Odo miles, hoc eſt eques erat, Alexander vero non erat, ut in ipſis tabulis habetur. In diplomate Hugonis IV. hujus Odonis filii verba ibidem hæc habentur. *Iuravi dictis Divinonenſibus quod quando ad militiam promotus fuero, eis præſentes litteras innovabo & eo ſigillo quo miles utar, ſigillabo & tradam ſigillatas.* Carebant hoc privilegio *ſigilli* filiifamilias nobilium, quia nondum conſequuti erant equeſtrem gradum, hoc eſt ut tunc loquebantur, militiæ dignitatem. Per id tempus ſubſcribebant tantum, jure ſigilli adepto ſigillum ſuum duntaxat apponebant, ſæpius ſine ſubſcriptione. Enimvero viventibus adhuc patribus qui milites vocabantur, *Chevaliers*, ipſi *ſcutariorum ſive ſcutigerorum* tantum appellatione gaudebant, & *domicellorum*, id eſt minorum dominorum. In antiquis nobilium chartis ejuſmodi ſigilla viſuntur equeſtris dignitatis propria, in quibus altera parte miles in equo armatus conſpicitur, gladium ſtrictum dextra manu tenens, ſiniſtra parmam ſive ſcutum equeſtre, cum galea in capite, in altera vero parte armorum gentilitiorum inſigne, cum his verbis in circuitu partis quæ armarũ Equitem ſuſtinet, *ſigillum τοῦ δεῖνα ἢ δεῖνα*, ut SIGILLVM ROBERTI DE CLARO MONTI;

atque ita de aliis. In charta Odonis quam ſupra ex Chartulario S. Benigni Divionenſis protulimus, *ſignum* poteſt eſſe pro ſigillo. Nam omnes quorum ſigna ibi recenſentur, milites tunc fuere, hoc eſt equeſtris dignitatis. Mille teſtimoniis ex Monaſteriorum chartulariis & Archivis Regiis poteſt demonſtrari hujuſmodi ſigillorum uſus pendentium, quibus nobiles utebantur, ad roboranda contractuum inſtrumenta, quibus & Subſcribebant ſimul & ſigillum ſuum appendebant. In multis, imo & plurimis, ſolum ſigillum ſine ſubſcriptione appoſitum reperitur. Idque obtinuit in illa ſigillorum forma quæ nomen auctoris adſcriptum in circuitu habuit. Tale ſigillum nomine ſignantis inſignitum pro ſigno & pro ſubſcriptione videtur valuiſſe. Hodie in Oriente Turcæ, Arabes, Perſæ, Mahumedani, etiam Chriſtiani qui Arabica utuntur lingua & moribus, annulum habent ſignatoriũ nomine ſuo inſignitum, vel aliquo Symbolo, aut figura alia placita, quo litteras ſuas ſignant & libros. Signum illud non exprimitur in cera, ſed atramento madidum ipſi chartæ imprimitur. Hodie apud nos ſoli Reges diplomata ſua ita ſolent munire & firmare. Ipſi nobiles tantum ſubſcribunt. Quærit hîc bubulcitor, cur non explicarit Salmaſius quare cum juxta ſubſcriptionem ſignum

ſignum imponeretur, *ſignare priuſquam ſubſcribere* dixerit Remigius, quare & alii. De Remigio jam diximus. Quæro ipſe qui ſint illi alii qui *ſignare* prius dixerunt quam *ſubſcribere*? Jam oſtenſum eſt priſco ſignandi more, quo tabulæ obſignabantur ut clauderentur, ſigna poſt ſubſcriptiones fuiſſe impoſita. Si qui ſignorum prius meminerunt quam ſubſcriptionis, non attendiſſe ad ordinem rei geſtæ. In nova autem ſigillandi conſuetudine qua ſigilla aut ſubter ſubſcriptiones appenſa ponebantur, aut propter figebantur, etiam ſubſcriptiones priores tempore fuiſſe, naturæ ordine ita poſtulante. Ut enim ſcriptura prima omnium erat, ita ſubſcriptio ad eam firmandam ſubſequebatur, deinde ultimo ſigna apponebantur. Ideo in VViſigothorum legibus *ſubſcribendi* primum fit mentio in omnibus locis, deinde & *ſignandi*. In Græcorum Imperatorum conſtitutionibus ὑπογραφὴ vel ὑποσημάνσις primo loco nominatur, deinde βȣλλώσις. Duo igitur ut jam dictum fuere ſignorum vel ſigillorum genera. Unum antiquum & Romanum claudendis tantum tabulis quibus imponebatur accommodatum, quod reſignatis iis & apertis diſſolvebatur ac abjiciebatur: alterum non Romanum nec vetus, ſed à barbaris introductum, ad roborandas tabulas repertum, & juxta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ſubſcriptionem aut ſubtus apponi ſolitum. Hujus etiam generis duæ ſpecies, unum in ipſa charta figendum, alterum filo inde dependens vel lacinia ex ipſa membrana diſſecta & ei adhærens. Hodie quoque utrumque genus ſignaculi in uſu eſt, quod claudendis & obſerandis fit tabulis, & quod ad fidem faciendam tantum facit. Hoc ſigillum *ſeol* proprie vocamus, illud *cachetum*, ab occultando quod nobis *cacher*, id eſt celare. Ita epiſtolas filo ligatas ſignamus. Ita ſecreta teſtamenta ſolemus obſignare. Hoc tempore etiam ſigilla more antiquo rebus quæ auctoritate publica clauſæ ſervari debent & ſub ſigno eſſe, vulgo apponuntur, ut in arcis, armariis, capſis in domo defunctorum, aut cum aliquid inter plures litigioſum eſt. Has *ſigillorum* & *ſignandi* differentias ignoraſſe pro monſtro eſt hominem foritribacem, ſed *ferritribax* Plautino vocabulo dici potius & eſſe mereretur, qui tot liticularum inſtrumenta evolvit, tot contractuum veterum ſacculos tractavit. Qui eum ἡμίονον diceret, pro dimidia parte erraret, nam ὅλος ὄνος eſt.

CAP. XXXIV.

Plures de duobus non dici, nec duo qui ſunt proprie eſſe plures. Inſcitia Heraldi vel ſtoliditas pluſquam ſtupenda qui ſic exiſtimavit. Pluribus id oſtenſum, non duobus tantum argumentis.

POenitet me ſane quod aliquando te pro docto habuerim. Οὔτ' ἐν λόγῳ οὔτ' ἐν ἀριθμῷ eorum qui aliquid ſciunt, jam faxo ut nemo te reponendum cenſere poſſit. Imperitiam tuam & ſenſus communis inopiam hic nudam oculis lectorum videndam nunc proponam. Nam quo magis ad finem tendis, eo etiam fortius contendis ſtolidiorem & ignatiorem te oſtendere. Quid hoc eſt quod hic *duo* de pluribus dici, & *plures* de duobus argutaris? An pro ſano hæc à te dicuntur? Sic everris ſordes quas tibi Salmaſius aſperſerat? Videamus bone everritor, quomodo ex iſto luto pedes tentes evellere. Agebatur de ſententia legis Sempronius XLVII. D. de Legatis II. in qua binas tabulas teſtamenti à quodam patrefamilias eodem tempore *Exemplarii cauſa* ſcriptas Proculus dicit. Diſputatum eſt à Doctoribus quo ſenſu illa verba deberent accipi, *exemplarii cauſa*, atque utrum ibi *exemplar* vel *exemplarium* originale eſſet & primaria ſcriptura, an vero id quod ex alio deſcriptum eſt. Nempe quod *exemplum* tunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

dicebant, nunc *copia* barbare vocatur. In priore ſententia fuere Accurſius & Bartolus, in poſteriore Ferrandus, ut notatum eſt à doctiſſimo Gloſſatore. Duæ igitur in explicanda ea lege opiniones traditæ ſunt, una quæ *exemplar* pro authentica ſcriptura accipiendum ſtatueret: altera quæ pro exemplo vel apographo eam vocem intelligeret. Nulla tertia fuit. Tibi itaque nihil ad eam legem ſupererat notandum quam ut alterutri expoſitioni ſubſcriberes. Salmaſius jam hoc fecerat, & in lib. de modo Uſurarum cap. x. docuerat, *Exemplarii cauſa* in ea lege nihil aliud ſignificare quam ut illæ binæ tabulæ exemplarii cauſa ſcriptæ, loco & vice eſſent exemplarium, ex quibus nimirum exempla deſcribi poſſent. *Exemplar* enim proprie eſſe è quo exemplum ſumitur & è quo plura exempla capi poſſunt. Tu vero ut aliquid novi diceres, quod aliis foret indictum, poſt allatas duas illas interpretationes de exemplaris voce quas ſupra poſui, hæc verba quibus quaſi tertiam ac tuam tibique propriam oſtenderes opinionem, ſubjunxiſti: *Sane appellat Proculus binas tabulas teſtamenti eodem tempore exemplarii cauſa ſcriptas, binas tabulas teſtamenti authenticas.* Hactenus videris approbaſſe priorem ſententiam quæ eſt Accurſii & Bartoli, cui Salmaſius etiam calculum adjecit, ut *exemplar*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

plar nimirum ſit authentica ſcriptura. Sed quæ addis ibidem, quaſi de tuo videris depromere: *Sed quæ binæ ſcriptæ eſſent ut plures eſſent illius teſtamenti tabulæ authenticæ, plures tabulæ eodem exemplo.* Hæc interpretationis prioris incruſtatio & amplificatio, Salmaſio viſa eſt mira, & mihi. Et cui non poſſit videri? Si per voculam *plures* nihil aliud intellexiſſes quam duas vel *binas*, quid opus erat te eam interpretationem ita explicare ut bis idem diceres & inculcares, *binas tabulas teſtamenti exemplarii cauſa ſcriptas binas eſſe tabulas teſtamenti authenticas, ſed quæ binæ ſcriptæ eſſent, ut duæ eſſent tabulæ illius teſtamenti authenticæ, duæ tabulæ eodem exemplo ſcriptæ.* Quid aliud nos hæc docent, quam duo eſſe duo, & binas tabulas binas? Egregia ſane & digna magno Juriſconſulto legis expoſitio, binas tabulas eſſe ſcriptas authenticas, ut binæ eſſent authenticæ? Non te pudet idiotiſmi & ſtuporis? Si *plures* in ea explicatione non de duobus intellexiſti, ſed pro eo quod Latinis vulgo ſonat longe ſtupidior evadit bella illa tua interpretatio. Sic enim dixiſti, *binas tabulas teſtamenti authenticas ſive exemplarii cauſa ſcriptas eſſe ut plures eſſent illius tabulæ authenticæ plures tabulæ eodem exemplo.* An aliter hæc accipere potuit aut debuit Salmaſius, quam ut plures quam binas intellexeris? Binæ ergo tabulæ ſcriptæ ſunt

authen-

authenticæ ab illo teſtatore, ut plures eſſent quam binæ. *Ad hæc cavillat i ſatis putide Salmaſium arguis.* Quam hîc cavillationem deprehendiſti? Non potuit tecum meliore fide agere. Aut enim *plures* in illis tuis verbis id ſignificant quod vulgo Latini ea voce intelligunt, numerum nempe indefinitum, aut pro finito & pro *duobus* eam uſurpaſti. Si hoc modo, non poſſis effugere quin docere nos volueris duo eſſe duo, & binas tabulas binas. Si illo, merito ex te quæſivit Salmaſius, cur dixeris, *binas ita eſſe ſcriptas ut plures eſſent authenticæ?* An plures quam binas eſſe voluiſti? Quod quam fuerit ridiculum jam ſentis. Nec minus ſane deridendum & fatuum ſi plures de binis intellexiſti. Sed hic etiam cavillaris quod adjecerit Salmaſius de ſuo, *ita*, & dicis benignitatis illius te gratias ei facere. Bene eſt. Recipiat per me illud ſuum *ita*. An ſic melior aut tolerabilior tua futura eſt interpretatio? An ſententiam tuorum verborum aliam facit demptum illud *ita?* Videamus. Dixiſti, ſcriptas eſſe binas teſtamenti tabulas authenticas ut plures eſſent authenticæ. An negabis ita te ſcriptas binas intelligere ut plures ſint? Aut ita ſcriptæ ſunt binæ ut eſſent plures quã binæ, aut ut non plures. Elige nunc utrum velis. Utroq; modo dignus es qui ad trabẽ ſuſpenſus nudus uſq; ad ſatietatem calculonum & dupondiorum

diorum juris unanimi opera de corio tuo ludentium, flagelleris. Sed nunc reſpondebo ad quæſita tua pro Salmaſio. Quærere te ais *à viro acutiſſimo, an putet binas tabulas non eſſe plures?* Ego quæro à te viciſſim qui pilæ inſtar acutus es, an bini Franciſcani ex regula ſua debeant incedere, ut plures ſint incedentes? Ubi ad hoc mihi reſponderis, tum dicam tibi an binas tabulas authenticas ſcribi oporteat, ut ſint plures ſcriptæ authenticæ. Sed miro acumine ſtuporem ſuum explicare & joculari ſolertia ita ſe expedire conatur. *Video,* inquit, *quid hoc ſit. voluit Salmaſius augere Latinam linguam duali numero, ne quid deberet Græcæ, & ſic exiſtimavit duo plurali numero non contineri, nec binas ergo tabulas eſſe plures.* Facetè, imo ridicule potius. Apud Latinos dualis numerus non eſt ut apud Græcos in declinandis nominibus, ſed plurali comprehenditur. Ergo binæ tabulæ plures ſunt, & plures tabulæ binæ. Ita concludit cor Heraldi poſtquam jecur Papiniani ſe adoptaſſe putavit; & poſtquam de Grammatico factus eſt pragmaticus. Hoc ipſum quoq; debuit eum advertere duo non eſſe plura, cum Græci illi cati & ſapientes numerum δυϊκὸν ἀπὸ τοῦ πληθυντικοῦ diſtinguant. Ergo videntur exiſtimaſſe duo non eſſe plura, nec plura pro duobus propriè intelligi. Quod autem Romani non agno-

verint

verint in nominibus dualem numerum, an inde poteſt concludi reipſa non diſcreviſſe plures à duobus & duo à pluribus? Hoc eodem argumento probaretur apud Sinas & Tartaros nullum eſſe plurium vel pluralis numeri intellectum, quoniam in illis linguis tam latè patentibusnulla eſt diſcretio nominum pluralium & ſingularium. Apud priſcos Ægyptios nomina non declinabantur nec in pluralem & ſingularem numerum dividebantur. Ergo & illi neſciverint plures ab uno & à duobus ſejungere, ſed unus eis idem fuit quod multitudo, & duo iidem cum pluribus, & plures cum duobus. Apud ipſos Latinos nomina multa reperiuntur in ſingulari tantum uſitata, cum res tamen quas ſignĭficant plures ſint, & quædam etiam numero infinitæ. *Cælum* dixere tantum Romani, non *cælos* nec *cælo*. Quis inde inferet unum duntaxat eſſe cælum, non plura? *Harenam* præſtantiſſimi Grammatici & Cæſar ipſe in libris de Analogia Latine ſingulariter tantum dici ſcripſere, cum tamen infinitus ſit numerus harenæ. *Triticum* ſimiliter ἑνικῶς dicebatur, ſed *tritica* vitioſe. Atqui plura ſunt tritica & varia ejus genera. Ipſi etiam Romani loquutione apud ſe trita ſatis teſtantur ſe duos à pluribus diſcreviſſe cum *unum & alterum* dixere quem opponerent multitudini. *Vnus & alter* duo ſunt.

Sic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Sic Perſius in Satyra quærenti ; *Quis leget hæc?* reſpondet : *vel duo vel nemo.* An per *duos* plures intellexit, te, Heralde, interrogo. Pone loco duorum *plures*, & vide an concinna ſit & apta vel commoda loquutio. *Quis leget hæc? vel plures vel nemo.* Hoc ridiculum foret. Petebat alter, quis leget hæc, intelligens ſine dubio neminem eſſe lecturum. Reſpondet alter ſibi ſatis eſſe ſi vel duo legerent. An potuit paucioribus ſe eſſe contentum profiteri? Sed ſubjungit etiam ſibi ſatis fieri ſi vel nemo quæ ſcripſiſſet legere dignaretur. Ita Græci dicunt, ἢ τὶς ἢ ὀυδεὶς. *vel unus vel nemo.* Vel, ἢ ὀλίγοι ἢ ὀυδεὶς, *vel pauci vel nemo.* Pro quo Perſius dixit, *vel duo vel nemo*, ut jam obſervatum doctis. Certè paucorum notio non poteſt pauciori numero determinari quam duorum. Infra duos unus eſt, quo nomine pauci non poſſunt deſignari nec intelligi. Et ut *pauci* opponuntur multis poſitivè, ita comparative *pauciores pluribus.* Si jam multi de duobus intelligi poſſunt, utique *paucorum* nomine vel unus intelligendus fuerit. Quod ineptum eſt, & inſcitiam redolet ſtupiditati propiorem. Vocabulum *plures* per ſe poſitum pro poſitivo ſæpe accipitur: ſi cum alio finito numero exprimatur, non ſolum indefiniti numeri notionem habet, ut ſemper, ſed etiam comparativam ſignificationem &

plus aliquid quam quod finite enuntiatum eſt, deſignantem. Exempli gratia, ſi dixero, centum in acie cecidiſſe & *plures* eſſe vulneratos, nemo per *plures* eundem numerum expreſſum putaverit qui finite prius enuntiatus eſt, ſed numero plures accipi neceſſe erit vulneratos quam occiſos. Si in eadem re numeranda à finito numero ad indefinitum tranſiero, cum indefinitus à finito reſtringi, non queat, nec idem cum illo ſignificare non niſi ſtulte ſtolideque ponitur. Qui enim dixerit ſe duos homines feriiſſe, ut plures caderent, delirabit ſi nomine plurium non plures velit intelligi quam duos. Fortius etiam nugabitur, ſi de pluribus numero ſe ſentire declaraverit, cum contra rerum naturam ſit, ut duobus tantum percuſſis, plures cadant. Si vero ab indefinito numero ad finitum tranſitus fiat in ejuſdem rei numeratione, tum indefinitum numerum finitus reſtringet. Verbi gratia, ſi plures dicam tabulas à teſtatore ſcriptas, ut duæ eſſent authenticæ & exemplarii cauſa ſcriptæ, ex pluribus tabulis teſtamenti quas teſtator ſcripſit, quatuor nimirum aut quinque aut etiam amplius, duæ tantum erunt authenticę & pro exemplaribus ſcriptæ, reliquæ *Exemplorum* loco, ſive *copiarum* ut vulgo loquuntur, habebuntur. Salmaſius in Miſcellis ſuis obſervationibus non

ſatis

ſatis animadvertiſſe viſus eſt mentem Heraldi in hac lege explicanda. Quod illi reor ignoſcendum. Non enim putavit in quenquam cadere poſſe tantam ἀλογίαν, ut crederet *plures* pro duobus, & *duo* pro pluribus, non Romano dico, ſed vel humano ſermone poſſe dici. Atqui verum eſt hanc fuiſſe Advocati Pariſienſis foro cauſiſque retorridi, ſententiam. Sic enim ſcripſit in libri Obſervationum cap. L. Poſtquam enim dixiſſet, binas tabulas *teſtamenti* eodem tempore exemplarii cauſa ſcriptas, *eſſe binas tabulas teſtamenti authenticas, ſed quæ bina ſcripta eſſent, ut plures eſſent illius teſtamenti tabulæ authenticæ, plures tabulæ eodem exemplo*; ſtatim ſubjungit, *Quandoque plura teſtamenta ſcribebant vel ſcribi curabant, ut omnia eſſent authentica, ſed quia erant omnia eadem, ideo dicebantur eſſe eodem exemplo, aut plura exemplaria.* In his verbis *plura teſtamenta* & *plura exemplaria* pro duobus teſtamentis & duobus exemplaribus videtur omnino poſuiſſe, quia & paulo ante *binas tabulas* de pluribus interpretatus eſt. Et paulo poſt Florentium & Ulpianum citat, quaſi idem dixerint, cum ille *unum teſtamentum pluribus exemplis conſignatum* dixit, iſte *in duobus exemplaribus factum ab aliquo teſtamentum.* Ergo in *duobus* exemplaribus, & in *pluribus* factum teſtamentum idem eſſe videtur Heraldo, & eodem numero. Duo

itaque exemplaria ſunt plura, & plura exemplaria de duobus tantum intelligenda juxta arithmeticam ac Juriſprudentiam nobilis cauſarum Latronis. Vtramque artem feliciſſime conjunxiſſe hinc apparet & plures nummos ex ſcientia quam non intellexit corraſiſſe. An *plures* ibi etiam pro duobus nos volet accipere ? An ita ipſe cepit cum eos manu cava protenſa acciperet? Ergo & *plures codices* in leg. III. D. de Tabulis exhibendis, non multi erunt codices, ſed duo, his verbis : *Si tabulæ in pluribus codicibus ſcriptæ ſunt, omnes interdicto iſto continentur, quia unum teſtamentum ſunt.* Omnes & plures de duobus hic erunt capiendi codicibus, nec de pluribus quam duobus. Cor jubet hoc væcordis pragmatici. Si ita eſt, etiam *tabulæ plures* de duabus erunt accipiendæ in leg. IV. D. de his quæ in teſtamento. verba ipſa apponam: *Pluribus tabulis eodem exemplo ſcriptis, unius teſtamenti voluntatem eodem tempore dominus ſollemniter complevit. Si quaſdam tabulas in publico diſpoſitas abſtulit atque delevit, quæ jure geſta ſunt, præſertim cum ex cæteris tabulis quas non abſtulit res geſta declararetur, non conſtituentur irrita.* Per tuam fidẽ dic Heralde an & hic cenſebis *tabulas plures* de duabus eſſe exponendas? Ergo & *quaſdam* ex his de alteris erunt ſumendæ, & *cæteræ* de unis. Sic etiam & *plura exempla*
apud

apud Ovidium nos intelligere pro imperio ſtatues in his verſibus, quibus dicit volumina Metamorphoſeon ſuarum cum ſe nolente eſſent divulgata, ideo ſe credere pluribus exemplis vel exemplaribus fuiſſe deſcripta.

Quæ quoniam non ſunt penitus ſublata, ſed extant,

Pluribus exemplis ſcripta fuiſſe reor.

Non pluribus exemplis ſed duobus tantum deſcripta evincet calculator noſter, imo duobus quia pluribus, nam plures duo ſunt. Si in tabulis, codicibus & exemplis exemplaribuſue teſtamentorum plures ſunt duo, etiam *plures hæredes* in jure pro duobus propoſuerit Juriſconſultus Leg. XLII. D. de vulgari & pupillari ſubſtitutione; *Qui diſcretas portiones conjunctis pluribus ſeparatim dedit, & poſt omnem ordinem inſtitutionis ita ſcripſit.* Sed pudet me in his everrendis ſordibus tam diu immorari. Fefellit hominem nugacem & ſtolidum Lex illa XLVII. D. de legatis II. quæ innuit vulgo binas teſtamenti tabulas à teſtatoribus eo tempore fieri ſolitas. Hinc ille putavit quaſi ſtatum, ſollemnem & tralaticium numerum eſſe tabularum teſtamenti conficiendarum quem excedere nemo adeo debuerit. Ideo quoties in jure mentio alibi occurrit, *plurium teſtamenti* tabularum, aut teſtamenti unius *in pluribus codicibus facti*, aut *pluribus exemplis*

ſcripti de duobus, non de numero binas tabulas excedente eſſe ea omnia accipienda. Inde & Num. III. ſupra, cum de pluribus teſtamentis locutus eſſet, quaſi plura eſſent proprie duo, *prioris* meminit, cum ibi quæſtio foret de duobus codicibus ſimul ſignatis. Sic igitur ſcripſit: *Si igitur plura reperiantur teſtamenta, & is qui priore hæres inſtitutus eſt ea junxerit & colligarit.* Agebatur de duobus teſtamentis ſimul ligatis & ſignatis, quæ ille *plura* eſſe voluit, & ita dici debere & dicta etiam Juriſconſultis cenſuit. Qua fatuitate & ſtoliditate haud ſcio an alia ulla major aut monſtroſior poſſit monſtrari. Græci Arithmetici δυϊκὸν numerum non pluralitatis proprie habere ſignificationem docent, ſed eſſe ἀρχὴν τῆς ἀπειρίας. Et de his quidem hactenus, quæ non duobus verbis, ſed pluribus refutari fuit neceſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

CAP. XXXV.

Recte interpretatum eſſe Salmaſium verba Legis Proculus XLVII. *D. de Legatis* II. exemplarii cauſa. *Non interpolaſſe priorem explicationem ſuam neque immutaſſe, neque ad Heraldicam, quæ ſtultiſſima eſt, divertiſſe. Stupor Heraldi cum ſumma impudentia conjunctus.*

SI tarditate animi ac ſtupore merſus deprimitur Advocatus, haud minore tamen impudentia elatus alias erigitur. Duo ſunt quæ egregiè facere novit, ſtrenue nugatur & ſplendide mentitur. Quod Proculus in lege ſupra citata dixit *Exemplarii cauſa*, interpretatus erat Salmaſius, *ut loco eſſent exemplarium, & exempla inde transferri poſſent*. Hoc quia videbat eſſe ridiculum, intactum ſe reliquiſſe hîc profitetur Cauſidicus, *contentus rem explicare*. Rogo mihi dicat quid ridiculi in ea explicatione viderit. Oſtendat ſi poteſt qua parte peccet illa interpretatio Salmaſiana. Diximus ante, & ipſe Cauſidicus id agnovit, in ea lege exponenda duas eſſe ſolas Doctorum opiniones. Quippe *alios velle exemplarium, ſive exemplar, eſſe originale & primariam ſcripturam, alios id quod ex alio tranſcriptum*. Hæc ſunt ejus verba in Obſervationibus cap. I. Salmaſius priorem ſententiam ſequutus eſt, quæ *exemplarium* pro originali & primaria ſcriptura accepit. Ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

ergo *binas tabulas exemplarii cauſa ſcriptas* apud Proculum interpretatus eſt, *ut eſſent loco exemplarium*, id eſt ut exemplaria eſſent authentica. *Exemplar* autem ſive *exemplarium* proprie eſt ex quo exempla deſcribuntur, id eſt *ἀντίγραφα*. Ideo in ſua interpratatione addidit, *ut exempla inde tranſcribi poſſent*. An negabis, ô manifeſtorum infitiator, exempla ex teſtamenti exemplaribus deſcribi ſolita ab his quorum intererat & qui ideo poſt mortem teſtatoris aperiri teſtamenti tabulas à Prætore petebant, & inſpiciendi deſcribendique poteſtatem ſibi dari? Hinc edictum Prætoris, cujus mentio in leg. I. D. Teſtamenta quemadmodum aperiantur, quo Prætor, *omnibus quicunque deſiderabant tabulas teſtamenti inſpicere, vel etiam deſcribere*, inſpiciendi *deſcribendique poteſtatem ſe facturum pollicebatur*. Qui deſcribebat tabulas teſtamenti, ab exemplaribus ejus vel tabulis authenticis, exemplum utiq; ſumebat. Nihil enim aliud eſt *deſcribere* quam exemplum ex tabulis authenticis facere. Exemplar autem eſt ipſa authentica ſcriptura de qua exemplum deſcribitur. In leg. I V. D. Familiæ erciſcundæ, *Exemplum* ab authenticis tabulis diſtinguitur, ut *ἀντίγραφον* ab exemplari ſive archetypo. Apud Paulum lib. IV. Sententiarum Tit. VI. poſt agnita ſigna à teſtibus, linum inciſum, apertum

cum & recitatum teſtamentum *deſcribendi exempli* fit poteſtas, exemploque ſublato ab his quorum intereſt & qui deſcripſerant, rurſus obſignatur ab iiſdem magiſtratibus in quorum præſentia fuerat apertum. His itaque conſtitutis, an potuit melius *binas tabulas exemplarii cauſa ſcriptas* in dicta lege Salmaſius interpretari quam quomodo expoſuit, *ut loco eſſent exemplarium, atque inde exempla transferri poſſent?* Sed hic cavillari & triconem agere mavis, quam ſemel bona fide verum fateri. Dicis Salmaſium in defenſionibus Miſcellis, quas *miſellas* homo miſerabiliter ſtolidus appellas, *verba ſuæ interpretationis ſemper interpolata tueri, interpretationem ipſam deſerere & ad tuam accedere, ſed quam vult verbis illis quibus erat uſus expreſſam.* Impudentiam hic tuam & mentiendi libidinem ſummam mecum recognoſce. Quomodo deſeruit interpretationem ſuam Salmaſius? An ad alteram ex duabus relicta priore tranſiit? Atqui illa eſt quæ *exemplar* pro *exemplo* accipit, quamque ferri non poſſe Salmaſius docuit. Oſtende aliter accipi poſſe tabulas binas *exemplarii cauſa* ſcriptas, quam ut eſſent pro exemplaribus, vice exemplarium, loco exemplarium. An qui ſingulari numero hoc exprimeret aliud diceret, nempe ut eſſet loco vel vice exemplaris, & pro exemplari? Nullo modo. Sed

 argu-

argutiolam hîc cavillatoriam crepas & ſic declamas: *Quæſo*, inquis, *binæ tabulæ ſcriptæ, ut ſint exemplarium loco & exempla inde transferri poſſint, ſuntne duo exemplaria & tabulæ authenticæ?* Immo, ô Ludimagiſter pragmatice & grammatice, duo ſunt exemplaria, binæ illæ tabulæ quæ ſcriptæ erant ut eſſent exemplarium loco, vel pro exemplaribus. An quid habes quod contra hiſcas? Sed & more tuo ſtolide ſtulteque ad hunc modum ratiocinaris: *Si duo exemplaria ſunt, non ſunt exemplarium loco, nec eo fine conſcripta, ut inde exempla peti poſſent, ſed ut eſſent binæ teſtamenti tabulæ.* Argute, aſtute, caute, ut nihil ſupra. Dic mihi agedum, ô ſophe, nonne tabulæ illę teſtamenti authentica fuere exemplaria, quæ ad hoc ſcriptæ ſunt, ut loco exemplarium eſſent, & pro exemplaribus, non pro exemplis, quippe eo fine conſcriptæ ut exempla inde transferri poſſent? Quo igitur alio fini exemplaria conſcribebantur, niſi ut inde poteſtas exempli deſcribendi petentibus fieret? Unde vox *exemplar* facta eſt niſi quia inde exempla poterant transferri, & transferri etiam ſolerent? Nonne idem poſſes dicere ad verba ipſa Juriſconſulti, quod dixiſti ad Salmaſii interpretationem? Quæſo binæ tabulæ exemplarii cauſa ſcriptæ, ſuntne duo exemplaria & tabulæ authenticæ? Nega nunc, ſi audes,

quod

quod exemplarii cauſa ſcriptum eſt, eſſe loco & vice exemplaris ſcriptum, vel pro exemplari, vel ut eſſet exemplar. At binæ illæ tabulæ loco & vice exemplarium fuere, & pro exemplaribus, & plane exemplaria. Nunc tibi explicabo, cur Salmaſius dixerit illas tabulas eſſe exemplaris loco, vel exemplarium. Hoc ex voluntate teſtatoris & arbitrio pendebat, ut ex duobus codicibus vel pluribus in quibus eodem tempore teſtamentum fecerat, alterum eſſe vellet *exemplar*, alterum *exemplum* haberi. Ex duobus quippe codicibus teſtamenti, eodem tempore ſcriptis, interdum unum pro *exemplari* tantum haberi volebat, alterum pro *exemplo*, interdum utrumque exemplaris vicem habere. De exemplari & exemplo probatur leg. 1. D. de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas, his verbis: *Sed ſi unum fecerit teſtator quaſi teſtamentum, aliud quaſi exemplum.* Et hic paragraphus ſubjicitur duobus præcedentibus, in quibus mentio facta eſt teſtamenti *in duobus codicibus* facti, & *in duobus exemplaribus.* Vbi *duo codices* & *duo exemplaria* pro binis tabulis authenticis conſtat accipienda. At cum teſtator unum quaſi teſtamentum fecit, alterum quaſi exemplum, unum pro exemplari vel loco exemplaris eſſe voluit, alterum vice exempli. Additur in eadem lege, ſi illud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

extet quod teſtator teſtamentum, id eſt exemplar eſſe voluit, peti ex eo poſſe bonorum poſſeſſionem, non item ex eo quod erat exemplum. Hoc genus autem exempli quod teſtator ſimul cum exemplari vel authentico inſtrumento faciebat, ſignari quoque ſolebat & claudi haud ſecus atque ipſum exemplar. Idque liquet ex leg. ult. D. Teſtamenta. *Siquis*, inquit, *fecerit teſtamentum & exemplum ejus, exemplo quidem aperto, nondum apertum eſt teſtamentum. Quod ſi authenticum patefactum, eſt totum apertum.* Ex quibus clareſcit inter ejuſmodi *exemplum* teſtamenti & *exemplar*, nullum diſcrimen extitiſſe quantum ad ſollemnia juris, ſubſcriptiones & ſigna teſtium, niſi in voluntate teſtatoris, quod alterum vim ac vicem *exemplaris* obtinere voluit, alterum tantum pro *exemplo* haberi. Nam cum dicat lex, aperto exemplo non apertum videri teſtamentum, id eſt exemplar teſtamenti, liquide eo ſignificatur ejuſmodi exempla etiam ſignari ſignis teſtium ſolita & obſerari, illa vero *exempla* quæ aperto poſt mortem teſtatoris teſtamento deſcribebantur non ſignabantur à teſtibus, ſed in iis tantum ſcriptura teſtamenti & ſubſcriptiones teſtium deſcribi ſolebant. Cum ergo hoc in arbitrio eſſet teſtatoris, ut ex binis teſtamenti tabulis quas conſcribendas curarat, alteras pro ex-

emplar,

emplari, alteras pro exemplo haberi juberet, aut utraſque exemplarii locum, vim ac vicem habere; ex eo etiam exponenda eſt Lex XLVIII. D. de Legatis II. Quæ meminit binarum tabularum *exemplarii cauſa ſcriptarum*, id eſt quæ loco exemplaris eſſent, & utræque exemplar. An quod pro authentico eſt, non eſt authenticum? Quod pro exemplari voluit eſſe teſtator, non erit exemplar? Quid igitur homo inepte hîc cavillaris? Ex aſſuetudine veteri tricandi & vitilitigandi in liticulis, ne nunc quidē cum commentarios conſcribillas, ab iſto more potes temperare. Quod autem objectas de verbis interpretationis ſuæ à Salmaſio *leviter interpolatis*, non leviter mentiris, & ab illa tua cavillandi & tricandi rabularia conſuetudine venit. Quoniam, inquit, iſta, *ut ſint exemplarium loco*, paulo longius recedebat ab ea ſententia quam ſibi nunc affingere vult, in defenſionibus ſuis ſcribit *exemplaris*, quod nihil eum juvat. Immo nihil ipſum te juvat hæc afferre quæ ſunt putidiſſima & ridicula. Scripſerat Salmaſius in libro de Uſuris, exemplarii cauſa ſcriptas tabulas eas dici, quæ eſſent *exemplarium loco*, id eſt pro exemplaribus & exemplaria. An aliud poteſt videri dixiſſe cum in defenſionibus pro eo ſcripſit, *ut ſint exemplaris loco*. An utrumvis longius abeſt ab ea interpre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

tatione quam probavit & defendit Salmaſius? Sed ad tuam dicis eum acceſſiſſe ſua deſerta. Vt tuam arripuerit, ô nebulo, & ſuam abjecerit? Quamne pro ſtulta & ridicula traduxit, eam prę ſua probaſſet? Sed quę tua eſt? Nempe binas tabulas ſcriptas eſſe eodem tempore authenticas, ut plures tabulæ eſſent authenticæ. Quod quid ſit ubi nobis expedieris, tum ego in tuam tranſiero ſententiam, mea aut Salmaſiana abdicata. Sed heus tu, priuſquam hinc te miſſum faciam, quî tibi in mentem venit *exemplarii cauſa* ſcriptas tabulas de authenticis interpretari, cum ſupra pertenderis Num. v. *Exemplar teſtamenti nihil aliud eſſe quam, quod nos copiam dicimus.* An aliud eſſe putaſti *exemplarium* quam *exemplar*, ut illud nimirum fuerit authenticum, hoc vero exemplum? Si Deus vellet miraculum facere, te ex ſtulto ſapientem, ex indocto doctum faceret.

CAP.

CAP. XXXVI.

Non eſſe quæſtionem ridiculam cum plura teſtamenta eodem exemplo ſcribebantur, utrum uno dictante à pluribus exciperentur, an ex uno exemplari cætera deſcriberentur. Ridiculum potius eſſe Heraldum qui hanc quæſtionem pro ſtulta traducat.

CUm facetum facere vis, ridiculum te facis & ineptum. Scripſerat Salmaſius in Obſervationibus; Quæri poſſe vel quæſtionis eſſe, *Quando plures ejuſmodi teſtamenti tabulæ eodem tempore ſcribebantur exemplarii cauſa, id eſt ut totidem exemplaribus haberentur ſcriptæ, & omnes originales & authenticæ, utrum omnes ſimul uno dictante à pluribus ſcribis exciperentur, an vero cum unæ ſcriptæ forent manu, ut puta teſtatoris, eodem tempore alias exſcribendas curaret, quæ ab iiſdem teſtibus ſignarentur.* Hanc quæſtionem ex animi tui ſententia tam ſtultam pronuntias, talemque per ea quæ ſupra à te dicis obſervata, apparere, ut ſi in ea non immoreris tantilla reſponſione, Salmaſius te excuſatum habere debeat. Jocoſe hæc ſane & ſatis ſalſe. Salmaſius per me te libenter excuſatum habet quod ſis ineptus & ridiculus, & tales qui ſunt audit ac videt libentiſſime cum animum vult remittere ac ridere. Sed reſponſum quo Salmaſium dignatus non es, fac, ſi facere potes, ut à te impetrem. Dic igitur mihi, ſi ſum tanti, cur ſtulta

ſtulta illa tibi viſa ſit à Salmaſio propoſita quæſtio? An quia ſtultis omnia quæ quis dicit aut ſcribit ſtulta videntur, ut aurugi-noſis aurea? Binæ tabulæ exemplarii cauſa ſcriptæ, eodem tempore, an potuerunt aliter ſcribi, quam ut teſtatore dictante à duobus amanuenſibus ſimul exciperentur, aut uno exemplari manu ipſius teſtatoris ſcripto, alterum traderetur amanuenſi ex eo deſcribendum? Vtriuſque moris in teſtamentis & epiſtolis & libris ſcribendis veſtigia extant in veterum monumentis expreſſiſſima. Tradit Suetonius in vita Auguſti duobus codicibus ab eo teſtamentum factum partim ſua, partim liberti manu. Quod aliter non debet accipi, quam ex duobus illis codicibus alterum, id eſt quod primo loco ſcriptum eſt, manu ipſius Auguſti fuiſſe exaratum, alterum vero à liberto deſcriptum ex prototypo exemplari. Nec aliter cum bina eodem tempore ſcribenda forent teſtamenta, videntur feciſſe. Sic & Tiberius fecit eodem Suetonio in vitæ ejus memoria narrante, *teſtamentum duplex feciſſe alterum ſua, alterum liberti manu, ſed eodem exemplo, obſignaſſeque etiam humillimorum ſignis.* Nempe alterum prius ſua manu exaravit & hoc deſcribendum liberto dedit. Sic duo teſtamenta facta, ſive duo teſtamenti exemplaria, eodem exemplo. Sed

quid

quid ſi non duo tantum exemplaria ſed plura vellet quis facere, ut ſæpe conſtat fieri antiquis ſolita, quomodo eodem, tempore id eſt uno die ſcribi potuere? Nonne longum fuiſſet ſi exemplar unum manu teſtatoris factum uni alicui amanuenſi pluribus exemplis deſcribendum eſſet datum? Certe breviori compendio teſtatore ipſo dictante, pluribus amanuenſibus excipientibus, ut plures ſervos tunc habuere, ſic plures tabulas uno eodemque tempore conſcribi facillimum fuit. Si negabis hunc morem antiquis fuiſſe uſitatum, cum plura librorum & epiſtolarum exemplaria vel exempla eodem tempore ſcribi vellent, fruſtra & ſtulte negabis. Quid igitur ſtulti in ea Salmaſii quæſtione, dic ô ſtultiſſime rerum? Per ea quæ ſupra à te obſervata ſunt, ſtultum eam apparere vis. Nunc ſcio quid ſit quod velis. Non putaſti plures umquam binis confici ſolitas teſtamenti tabulas. Nam hoc in numero quaſi ſollemni, legitimo ac perpetuo fixiſti faciendorum *pluribus exemplaribus* & *codicibus* teſtamentorum morem. Ideo & *plures tabulas pluresque codices*, quibus teſtamenta facta Juriſconſulti aliquando in ſuis libris meminerunt, ad hunc duorum numerum reduxiſti, & *plura* de duobus intelligenda obſervaſti. Quinimo ut hoc etiam reciprocum videretur, *binas*

tabulas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

tabulas in leg. XLVII. de Legatis II. *plures* eſſe intelligendas docuiſti, & binas tabulas dixiſti ideo ſcriptas eſſe authenticas, ut *plures* eſſent authenticæ. Temere ergo & ſtulte moviſſe quæſtionem Salmaſium quomodo plures tabulæ eodem tempore ſcribi poſſent, cum numquam plures quam duæ uno eodemque ſcriberentur, & duæ eſſent pro pluribus, & plures pro duabus. Nonne penetravi animi tui ſecretum? An aliam habuiſti rationem cur Salmaſii quæſtionem illam ſtultam credideris? Atqui, ô ſtultivide, etiamſi duæ tantum tabulæ teſtamenti ex more ſemper ſcribi ſolitæ olim fuerint, hoc tamen quæri potuit, utrum uno dictante ſimul à duobus librariis exceptæ ſint, an teſtatoris manu unæ ſcriptæ, alterę amanuenſi deſcribendę ſint datę. Potuit utiq; vel utraſque tabulas manu ſua ſcribere teſtator, vel etiam amanuenſis aliquis alteras poſt alteras. Bella illa interpretatio de duabus quæ plures ſunt, & de pluribus quæ duæ ſunt, quam belle tibi proceſſerit & quam docte à te excogitata ſit, ſupra jam patefactum eſt. Unum jam addam teſtimonium quo convincaris etiam plures tabulas teſtamenti fieri olim ſolitas, & teſtamenta pluribus codicibus, qui plures eſſent numero quam duo. In Inſtitutorum lib. II. de Teſtamentis ordinandis docet Imperator, *unum teſtamentum*

mentum pluribus codicibus conficere quem poſſe. Non de duobus hoc intellexiſſe Juſtinianum vel eum Juriſconſultum ex quo hæc compilata ſunt, apparet ex ſequentibus iſtis verbis, *ſecundum obtinentem tamen obſervationem omnibus factis.* An *omnes* de duobus tantum dici putabis? Theophilus vertit πολλὰς διαθήκας. Ergo & πολλοὶ Græcis proprie de duobus. Et addit, ὥστε μίαν ἑκάστην αὐτῶν κατὰ τὴν κρατοῦσαν ἐν διαθήκαις παραφυλακὴν περαίνεσθαι. *Ita tamen ut unumquodque eorum ea obſervatione conficiatur quæ in teſtamentis obtinet.* Quæro ex te, niſi hæc tibi etiam ſtulta quæſtio videatur, an μία ἑκάστη, & *unumquoaque* ex pluribus teſtamentis, de altero tantum ex duobus poſſit intelligi? Sed ego ſtulto ſtultior ſum qui in his diutius immorer, quæ ſcutica aut ferula digna in puero fortaſſe eſſent, ſed in viro tam grandi natu & qui ſe tam doctum facit ut alios præ ſe ſtultos habeat, flagello vel loris caſtiganda ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

CAP. XXXVIII.

Quomodo citra contradictionem duo exemplaria dicantur de teſtamentis duobus quorum alterum prius ſcriptum ſit, alterum poſterius. Exemplum eſſe ἴσον & ἰσότυπον quia exemplari ſimile eſt. Heraldi inſcitia & ineptia notata.

STultitiæ inſimulatus Salmaſius in ſuperiore quæſtione ab homine ſupra modum ſapiente, hic etiam arguitur quaſi manifeſtæ contradictionis, in his ejus verbis quæ ſic retulit Advocati ſapientia: *Si unum poſt alterum ſcribatur, aut ipſe teſtator cum ipſe unum ſcripſiſſet manu ſua, alterum dabat libertis aut alii librario ſcribendum, utroque caſu unum fuit tanquam originale & prototypum exemplar, alterum ex priore formatum & tranſcriptum ἰσότυπον* & *ἀντίγραφον*. Truncata & interpolata Salmaſii verba recitavit, tacuitque præcedentia & conſequentia, & cum ea ita poſuiſſet ut voluit, ſic vanus homo & nequam garrire infit: *Id à Salmaſio dormiente ſcriptum ſe exiſtimaturum, niſi vigilans ejuſmodi contradictionibus & ineptiis ſeſe identidem implicaret.* An tu dormiens ſcribere ſoleas neſcio, id ſcio te ea vigilantem ſcribere quæ nec à dormitantibus legi mereantur, & præterea te improbum eſſe mortalem. In ea pagina Salmaſius cum binæ tabulæ teſtamenti vulgo olim

olim ſcribi ſolerent ut eſſent utræq; authenticæ, alteras ut plurimum teſtatoris manu fuiſſe ſcriptas notavit, alteras liberti alicujus vel amanuenſis, cui eas ex autographo proprio deſcribendas dabat. Ita Auguſtū duobus codicibus teſtamentum ſuum confeciſſe, alterum ſua, alterum liberti manu. Ita Tiberium, duplex feciſſe teſtamentum. Ita denique binas eas tabulas exemplarii cauſa ſcriptas fuiſſe, quarum meminit dicta Lex XLVII. Proculus. His poſitis ita ad verbum hæc ſubjecit Salmaſius: *Aut igitur ipſe teſtator propria manu utraſque ſcribebat, ſed unas poſt alteras, non enim poterat ambas ſimul exarare. Aut vero cum unas ipſe ſcripſiſſet manu ſua, alteras dabat liberto aut ſuo librario ſcribendas. Vtroque caſu unum fuit tanquam originale & prototypum Exemplar, alterum ex priore formatum & deſcriptum, ἰσότυπον & ἀντίγραφον. Nec enim aliter licet ſtatuere.* Nunc ipſe à te peto, pro antiqua quæ tibi cum Salmaſio interceſſit conſuetudine, hoc mihi reſpondeas, an aliter putes aut aliud poſſe ſtatui? Non potuit teſtator duas ſimul tabulas exarare, ergo aut alteras prius ſcripſit ſua manu, deinde alteras, aut prius à ſe ſcriptas tradidit amanuenſi deſcribendas. Quocunq; modo id fiat, non poſſis aliter dicere quin priori loco ſcriptæ propriè veri archetypi, autographi & exemplarii, ſcripturæque authenticæ videantur

vicem obtinere. Quod vero ex primitiva ſcriptura deſcriptum fuit, *exempli* & *copiæ*, ut dicimus, locum habere. Finge & alio modo ſcriptas illas binas tabulas fuiſſe. Fac neutras ab ipſo teſtatore ſcriptas, ſed eo dictante ab amanuenſi exceptum & chartæ mandatum teſtamentum. Cum duo ſic ſunt facienda, unum poſt alterum ſcribendum eſt. Prius ergo ſcriptum, ſemper vere & proprie *exemplaris* nomen habebit, ſecundo loco exaratum ut ex priore deſcriptum, *exempli.* Quæ vultum viventis & videntis tabula picta expreſſit, hæc eſt imago ejus πρωτότυπος, quæ ex hac ab eodem pictore & eodem tempore expreſſa fuerit, ἀπόγραφος dicetur & exemplum eſt imaginis archetypę, non ipſius exemplar prototypum. Idem eſt de ſcriptura quæ binis mandatur codicibus. Quæ prima facta eſt, ſemper ea pro archetypa & authẽtica habenda. Ex ea deſcripta & ſecunda, non eſt niſi exemplum ab exemplari expreſſum. Cum hæc ita ſint, neque aliter eſſe poſſint, nec poſſit negare Cauſidicus quin ita res ſe habeat, contradictionem tamen in his ſe deprehendiſſe jactavit. Nam *ſi*, inquit, *utrumque eſt exemplar, utrumque oportet eſſe* πρωτότυπον *&* ἰσότυπον, *alias alterum tantum exemplũ eſſet, & non exemplar, quod modo fatebatur cum plura exemplaria agnoſceret, plura eſſe authentica.* Egregia hæc ſane, ſed hominis communi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

muni ſenſu carentis ratiocinatio. Non poteſt videre quomodo duo codices teſtamenti vel tabulæ poſſint eſſe ac videri authenticæ & exemplarii cauſa ſcriptæ, ſi dicatur altera prius ſcripta, & altera ex priore deſcripta. Revera quidem & proprie quæ prius ſcripta eſt *exemplar* eſt, quæ poſterius & ex priore deſctipta, *exemplum*, ſed cum ex arbitrio teſtatoris pendeat ſtatuere utrumque eſſe pro exemplari, id ſequendum eſt quod ille voluit. Nam & interdum ex duobus ita ſcriptis teſtamentis, alterum *exemplar* ut fuit vere, alternm *exemplum* haberi ſtatuebat; ſicut jam ſupra obſervatum eſt. Fruſtra etiam concludit Advocatus, *Ergo, & ſi unum ſit prius, alterum poſterius, ſi tamen ambo à teſtatore & à teſtibus ſunt ſimul ſignata & ſubſcripta, cæteris etiam quæ ad teſtamentum ſollemne faciendum requiruntur obſervatis, ſunt omnia authentica.* Primum fruſtra hæc tinnis, cum Salmaſius non negaverit utrumque eſſe authenticum quamvis alterum prius, alterum poſterius ſit ſcriptum, immo tametſi & plura ſint hoc modo alia poſt alia ſcripta, nihilominus fore omnia authentica, ſi pro authenticis ea haberi omnia voluerit teſtator, quamvis per naturam rei illud proprie ac vere ſit archetypum & prototypum & exemplar, quod teſtatoris mente conceptum & manu conſcriptum ante alia omnia

fuit & ex quo reliqua deſcripta fuere. Ubi ergo Salmaſii contradictiones? Si ibi ponas inſcitiam tuam, veritati magis litaveris. Fruſtra etiam dicis, *Si tamen ambo à teſtatore & à teſtibus ſunt ſimul ſignata & ſubſcripta.* Dico enim tibi & jam dixi, quod ex duobus pro exemplo habendum juſſerat teſtator, etiam ſubſcriptum & ſignatum à teſtibus fuiſſe, & tamen vim exemplaris vel ſcripturæ authenticæ non habuiſſe. Inde eſt quod in leg. VII. D. Teſtamenta, de exemplo aperto notavimus ſupra. Si enim aperiri debuit exemplum, utique & ſignatum fuit. Non enim aliter clauſum eo more qui tunc obtinuit, fingi poteſt, niſi ſignatum etiam ponas. Si ſignatum autem dederis, etiam ſubſcriptum concedas oportet. Ita tamen ſubſcriptum ac ſignatum teſtamentum non erat *exemplar*, ſed *exemplum* ſi teſtator exemplarii cauſa ſcriptum eſſe noluiſſet, ſed quaſi exemplum duntaxat. Quæ autem hîc recoquis de ἰσοτύπῳ tanquam diverſum ſit ab ἀντιγράφῳ, quantum Græcè doctis ludibrium debeas & quam temere affirmes id à te pluribus teſtimoniis in obſervationibus eſſe demonſtratum, ex iis quæ ſupra poſuimus, oſtendimus. Beſtiali quippe præditum oportet eſſe ingenio qui poſſit negare ἀντίγραφον, ſive exemplum, ἰσότυπον eſſe ſuo exemplari, cum ipſa rei natura id probet. Vnde

&

& ἴσον abſolute pro exemplo Græci recentiores uſurparunt. Aut igitur probare debes ἴσον idem eſſe cum exemplari & πρωτοτύπῳ, aut fateri te oportet ἰσότυπον id eſſe proprie quod ſimile factum eſt exemplari & ex eo expreſſum quod & ἴσον vocatur. Atq; hactenus quidē ſpecimini tuo reſponſum eſt hoc ſpecimine. Si reliquum ſimile eſt, ut ſimile futurum certa fide auguror, quid nobis faciendum ſit, æſtimet lector qui hæc legerit. Vt pudet me tui ac miſeret, qui tam glorioſus ſis in tanta paupertate, & tot cladibus acceptis laureas, currus & triumphos ſomnies, ita non minus miſerandæ ſortis videri queat, qui ſibi neceſſitatem indixerit repurgandi & everrendi quidquid quiſquiliarum & ſordium in tam grandi volumine aggeſſiſti. Fidem ſubinde facere poteſt hic primus liber animadverſionum, te errores erroribus defendiſſe, & cum ſtuderes nihil impugnatum relinquere, ita objecta diluiſſe, quaſi ſiquis liquido ſtercore corpus luto inquinatum vellet abluere. Quod hic præſtiti, non tam Salmaſio dedi quum congerronibus tuis, ac tui ſimilibus de gente Arcadica auritis animantibus. Eos audio perlecta hac prima animadverſione tua, dictitaſſe Salmaſium famæ perditum, non jam pro homine docto poſſe ab ullo qui doctrinæ guſtum aliquem habeat, haberi. Si

poſtquam hanc reſponſionem percurrerint, ſententiam vertunt, ut calicem ſæpe ſoliti, pro bonæ mentis & ingenuæ indolis aſellis eos reputavero: ſin perſtant in guſtu quem præceperunt, dignos judicabo qui piſtrini perpetui incolæ carduis & furfure paleiſque æternum paſcantur. Tibi vero, Heralde, auctor ſum ne ſuperſtes ignominiæ tuæ vivas, ut quod reſtat vitæ reſte extinguas. Non enim amplius potes apud æquos harum rerum æſtimatores neque pro bono pragmatico haberi, neque pro bono grammatico. Ad ipſam legitimam ſcientiam quod attinet, quantum in ea verſatus fueris, oſtendunt quæ Salmaſius ad jus Atticum & Romanum obſervavit, & tua illa præclara obſervatio, qua pertinaciter pertendis, ſignata prius fuiſſe veterum teſtamenta quam ſubſcripta. Quod non ſecus eſt quam ſi diceres arcam prius claudi ſolitam, deinde in ea recondi quibus ſervatis opus eſt: aut ſi domus culmen ante exædificatum contenderes quam ejus fundamenta ſint poſita. Hoc ſi poteris defendere tum pro te Salmaſius in piſtrino molet. Niſi hoc faxis, tu ipſe σκύτη καὶ μύλλω βλέπε. Ad alios qui ſequentur libros ubi prodieri talem me ſpera, quia non ipſe melior es futurus. Vale ſi potes valere.

IN-

INDICULUS
Rerum & Verborum.

A.

ACia quid. 112
Adſcribere ſe & nomen ſuum. 220
Adſignare, ſignum adponere. 302
Alta, σιτδυτὰ. 60
Α'μμα quid Græcis ſignificet. 124
Amanuenſes. 163. ut plurimum ſervi. 179
Anglorum ſubſcribendi & ſignandi mos. 340
Annuli antiquorum ſignatorii. 104. Iliacis temporibus ignoti. 117
Annulus & ſigna differunt. 160
Annulus duorum generum. 189
Anteriores leges de digeſtis. 222
Αντίγραφον vel ἀπόγραφον. 60. 63
Αντίθετος idem qui ἰσόθετος. 68
Αντίτυπον. 68
Antiquiores compoſita verba lubentius uſurparunt quam ſimplicia. 302
Antiquarii. 179
Arnoldus Vinnius laudatus. 57
Αὐτόγραφον & Αντίγραφον opponuntur. 67
Αὐτόχειρον. 67

B.

Βίβλιον quid. 119
Bipatentia pugillaria. 96
Bullæ. 280
Bulla ſimplex & duplex. 330. veterum & recentiorum. 325

 C. Ca-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

C.

Cachet vulgo. 344
Capitolini locus emendatus. 245
Caliclare vel caliclarium. 60
Cera turbata. 170.209
Cera pro cerata tabula. 274. Hiſpanica. 323
Charta appellatio. 109.110
Charta veterum. 270. lignea & linea. 271
Chirographum. 195
Codex pro ſcriptura teſtamentaria. 56
Codices, Tabellæ, exemplaria, Synonyma. 73
Codicilli qui. 114. honorarii. ibid.
Collatio Carthaginenſis. 146
Connani ſententia refutata. 312.& ſeq.
Conſignare quid. 120. pro conſcribere. 251
Conſignare pro plures uno tempore ſignare non legitur in Pandectis. 303
Conſtitutio Principum Codex. 222
Contractus quid maxime proprie. 29
Contraſigillum quid. 331
Crucis vel crucium uſus apud Chriſtianos in ſubſcriptionibus. 320

D.

Dies cur aſſcriptus teſtamentis. 143
Δικήρειον quid ſit. 330
Δίπτυχος βούλη. 330
Δίπτυχοι quid. 43.96
Diſquiſitio quid. 35
Duareni ſententia refutata. 315
Duo codices, duo exemplaria. 44.45
Duo non eſſe plura. 349
Duplex bulla quæ. 330
Durandus Iuriſc. celebris. 268. ejus ſententia refutata. 106.269. literaturæ & veteris juris ignarus. 166

E.

Ἐκτύπωμα & σημεῖον. 162

Emancipatio. 207

Ἐμπεδῶσαι, ἀσφαλίσασθαι. 337

Epiſtola quomodo ſignata. 158

Ἐρυθροσήμαντον γράμμα. 332

Evolvere veteribus pro legere. 284

Exemplar quid proprie 50.54.59.60.87

Exemplum quid bonis auctoribus. 49.50. *interdum & pro exemplari uſurpatur.* 57

Extar ſive Extarium. 60

Ἐξειλήματα & Εἰλητήρια. 167.275

F.

FAmiliæ mancipatio. 208

Filum pro lino. 112

Foramen unum in tabulis. 228

G.

GLoſſarius ſæpe utitur Heraldus. 308

Grammatici qui proprie. 19

Gregorii Nazianzeni teſtamentum. 232

Grunnii porcelli teſtamentum. 239.244

H.

HOtomanni ſententia rejecta. 316

I.

Impreſſum. 189

Incidere tabulas pro linum incidere. 170

Ingulfi abbatis locus emendatus. 334

Inſcriptionis formula. 215

Inteſtati qui. 116

Ἴσον & ἰσότυπον. 375

Ἰσότυπον *quid.* 63

Ἰσοτύπως. 58

Juvenalis locus emendatus. 115

K.

Καλλιγράφοι. 179

Κηρόβουλλον. 280

L. Librarii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

L.

Librarii qui proprie. 163. *diſtincti ab amanuenſibus.* ibid.
Λίνον. 112
Linum quid. 111
Linteum pro lino male accipitur 120. *Sabanum.* 121. 122

M.

Mancipatio imaginaria. 209
Monogramma nominis. 218
Mutuum non fieri citra alienationem. 25
Mutuum non eſſe niſi reddatur. 27
Μυστικὴ διαθήκη. 282

N.

Novella Leonis Imp. emaculata. 317
Nuncupatio teſtamenti. 208. 291

O.

Ob non ſignificare circum. 301. *ſed pro ad poni.* 302
Obſignatores teſtamenti dicuntur non ſignatores, veteribus. 300. *poſtea ſignatores dicti.* 301
Obſignare non eſt teſtari. 151
Obſignare tabulas quid veteribus. 115
Ὄμφαλοι *bullæ Homero.* 325
Opiſtographa vel deleteria chartæ. 109
Ὀξεῖα μετὰ ξα. 332

P.

Papyrus Nilotica. 108
Palimpſeſtos. 109
Pariter quid Latinis. 134
Patriarcharum bullæ. 330. 331
Per as & libram. 208
Pertundere idem quod perforare. 206
Pertunda dea. 206
Plures de duobus non dici. 345. 351. 352
Plures tabulas teſtamenti quam duas olim factas. 368
Pragmatici in jure qui. 261. 265. 266.

Prima

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Prima & ſecunda cera. 274.156
Pupillaris ſubſtitutio. 292

R.

ΡΑ'μμα *quid.* 112.
Regia charta. 108
Remigii teſtamentum. 305. *more Romano factum.* 320
Remigii teſtamenti locus emendatus & explicatus. 321
Reſignare pro aperire. 173. *etiam pro claudere.* 174

S.

Sabanum linteum. 121.122
Scheda quid Iſidoro. 277.
Secreti teſtamenti faciendi forma. 282.289
Σήμαντρον. 162
Σημεῖον λύσεως *Dionyſio.* 193
Σημαίνεσθαι *pro ſignare.* 248
Seing & Seau vulgo. 336
Sigilla à Barbaris inducta duplicia. 335.344
Signa & ſigilla Turcarum &c. 342
Signare diverſe ſumtum à veteribus & neotericis. 43
Signare quid apud antiquos. 104.105
Signare idem quod obſignare. 151
Signata virgo. 173
Sigillare oculos mortuorum. 173
Signare pro ſubſignare. 230
Signare pro ſcribere. 252. *& ſubſcribere.* 307
Signare pre crucis ſignum facere. 320
Signare teſtamentum Iſidoro. 338
Sigillorum appenſorum duo genera. 329
Signaculum non idem quod ſignum. 188. *proprie* σφραγιστήριον. 189
Signaculum olim tantum nobiles habuere & equeſtris dignitatis. 247.329
Signum pro ſubſcriptione recentioribus uſurpatum. 150
Signatores. 221
Signum quid proprie Iuriſconſultis. 161

Signum

Signum pro nomine vel cognomine. 245. *& ſignatum pro eodem.* 246
Simul adverbii ſignificatio. 123. *non eſſe* ἅμα *ſed* ὁμοῦ. 124.126
Solvere epiſtolam. 193
Subſcriptio quid veteribus ſignificet. 213.214. *numquam nudum nomen ſubſcribentis habuit.* 216. *formula.* 218
Subſcriptio Principis. 214
Subſcriptio rationum. 214
Subſcriptio in criminalibus diverſa ab inſcriptione. 215
Subſcriptio non fiebat in exteriori parte. 255
Subſcripta prius teſtamenta quam ſignata. 253.237.316
Subſignare idem quod ſubſcribere. 230
Subſignata prædia. 250
Subſignatum ſubſcriptum. 251
Supervacuum linum. 115
Σχέδια. 108.275
Σφραγὶς. 162
Symbolum quid. 182

T.

TAbulæ ligneæ & ceratæ. 107.109.118
Tabulæ veterum. 270. *duplices.* 275
Teſtamenta quomodo aperiantur. 192
Teſtamenti definitio. 241
Teſtamentū non erat neceſſe ſcribi manu teſtatoris. 160
Teſtium præſentia, ſubſcriptio & ſignatio præcipui teſtamenti actus. 85
Τετράδια. 108.275.277
Triplex linum, tria lina non unum. 273
Τυπωτήριον & βουλλωτήριον. 325
Turbata ſigna. 170
Tympana, ſignacula majora. 325

V.

VArronis locus correctus. 173
Volumina. 107.109

Υπο-

Ὑποσημαίνεσθαι *pro ſubſcribere.* 252

VV.

W *Iſigothorum leges.* 262.337

X.

Χρυσόβουλλα. 326

Errata ſic corrigenda.

36. l. ridicula. 67. l. 24. *αὐτόχειρον*. 90. l. penult. receſſerit. 120. l. 12. liget. 153. l. 11. *claudere*. 173. l. 8. clauderentur. 190. l. 6. *dominio*. l. 21. omnino. 191. l. penult. avulſis. 230. l. ult. neceſſarias. 233. l. 17. *teſtes*. 261. l. 23. pragmatici. 265. l. 12. quos. 266. l. 26. *pragmaticos*. 273. l. 20. *codicillos*. 292. l. 4. ſervabatur. 311. l. 8. ligatas. 315. l. 15. anteponit. 323. l. 16. diverſo. 329. l. 7. *caudatum* 330. l. 12. propriam. Si quæ noſtram diligentiam effugerunt, æquus Lector per ſe facile emendabit.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
380 M 21